DE AUCTORITATE TRAGŒDIÆ CHRISTIANÆ,

QUAE INSCRIBI SOLET *ΧΡΙΣΤΟΣ ΠΑΣΧΩΝ*, GREGORIO NAZIANZENO FALSO ATTRIBUTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANEA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

J. G. BRAMBS.

München

EICHSTADII.

TYPOS CURAVIT M. DAENTLER

MDCCCLXXXIII.

Guilelmo Christ

viro doctissimo atque humanissimo

D · D · D

G. B.

I.

Quid adhuc viri docti censuerint de auctoritate tragoediae, quae *Χριστὸς πάσχων* inscribitur.

Tragoedia Christiana, quae *Χριστὸς πάσχων* inscribi solet, utrum Gregorio Nazianzeno, Theologo cognominato, tribuenda sit necne, iam multi eique docti viri disceptarunt. Horum contraria argumenta collegerunt A. Ellissenius in praefatione huius tragoediae, quam Lipsiae anno 1855 edidit, [1]) et Aug. Doeringius in commentatione: „De tragoedia Christiana, quae inscribitur *Χριστὸς πάσχων*.“[2]) Illuc cum lectorem relegamus, omnia accurate percurrere supersedemus, sed haec pauca monuisse sufficiet.

Christus patiens, quem Gregorio attribuendum esse antea codicum titulis creditum erat, num ab illo scriptus esset, primus omnium cardinalis Caesar Baronius circa annum 1588 dubitasse videtur. Jure ille quidem vituperavit, quod Maria deipara non ita se gerens fingeretur, ut ab ecclesiae patribus effingi soleret, eique assenserunt Pater Antonius Possevinus (dec. a. 1611), cardinalis Robertus Bellarminius (dec. 1621), qui addidit, „non videri tragoediam habere gravitatem solitam Nazianzeno, praesertim cum describeretur eiulatus matris Christi, quae

---

[1]) „Die Tragödie *Χριστὸς πάσχων* — Die Leiden des Erlösers, griechisch und deutsch, mit Einleitung und Anmerkungen;“ ea continetur prima parte operis: „Analekten der mittel- und neugriechischen Literatur.“

[2]) inest in „Jahresbericht über die Realschule I. O. und das Progymnasium zu Barmen, 1864;“ alia idem de hac tragoedia scripsit in Philol. XXI pag. 539 sqq., XXIII p. 577 sqq., XXV p. 221 sqq.

prudentissima et constantissima fuisset." Aliam rem attigerunt Fulco et Perkinsus († 1602), cum „videri eam sapere stilum Gregorii" aut „versum iambicum more Gregorii accurate observare" negarent.[1]) Horum sententiam secuti multi postea Christum patientem Gregorii esse negarunt, sed pauci nova argumenta addiderunt, in his Ceillierus († 1761) praeter dignitatem et sinceritatem dictionis et sublimitatem sententiarum praecipue copiam similitudinum desideravit. Multa deinde Daniel Trillerus († 1782) vituperavit, inprimis quod tridui spatium tragoedia compleret, quod nimis iam in exordio accrescerent nuntiorum narrationes nec non chori cantica deessent omniumque similes essent sermones, summaque ira ductus putidum, ieiunum, absurdum dixit esse dicendi genus, quod maiestate, sententiis, omni denique decore egeret, quod opus esset in sermone tragico. Eodem modo Lud. Casp. Valckenarius in praefatione fabulae Euripideae, quae Hippolytus inscribitur, cum alia in Christo patienti vituperanda occurrere tum permulta absurda et dictionem puerilem esse docuit. Omnium vero maxime eam Eichstadius perstrinxit in commentatione: „Drama Christianum, quod *Χριστὸς πάσχων* inscribitur, num Gregorio Nazianzeno tribuendum sit" (Jenae 1816). Nominavit eam ille quidem „deformem fetum, futilissimum centonem" atque reprehendit „miserabilem versuum contexendorum laborem, qui non ingenii esset labor, sed digitorum, quare se pigere plura excutere." Quae praeterea attulit, parvi sunt momenti. Post eum abbas Caillou in praefatione tragoediae, quam appendicem addidit Gregorii operum a Benedictinis editorum alteri tomo anno 1840 Parisiis publici iuris facto, hac de re disserens cum alia iam antea ab aliis allata notavit tum quod „sanctissima virgo introduceretur modo scandalum patiens, modo timore indigno deiecta, modo gemitibus lacrimisque nimium indulgens, modo tandem vesano furore correpta et filii ini-

---

[1]) Rivetus in „Critici sacri" lib. III. cap. XXII.

micos ita gravissimis lacessens iniuriis, ut et insuper omnes istis calamitates imprecaretur," item quod ex apocryphis quoque qui dicuntur libris nonnulla desumpta essent et auctor doceret, „ecclesias multas in beatae virginis honorem iam esse erectas solemniaque celebrari festa, quod non factum esse videretur nisi circa medium saeculi V. post Ephesini concilii decretum anno 431 emissum."

E recentioribus ad horum sententiam accesserunt Fredericus Duebnerus in praefatione editionis Christi patientis, quem Wagneri „Fragmentis Euripidis" Parisiis anno 1846 vulgatis ad calcem addidit, item Kirchhoffius, Nauckius, Gassius,[1]) Migneus, qui in XXXVIII. tomo operis, quod „Cursus Patrologiae Graecae" inscribitur, tragoediam Gregorii scriptis appendicem adiunxit ibique in pag. 131 sq. huius Gregorii eam esse negavit, Doeringius in commentatione laudata, postremo Nicolaius.[2])

Sed his adversati sunt alii, qui codicum auctoritate ducti tragoediam Gregorii esse tenuerunt, in his Lambecius († 1680), Labbeus, Joannes Iriarte († 1771), Wartonius († 1790), Schlosserus,[3]) pauca tamen attulerunt ad refutandam sententiam contrariam. Primus Augustius anno 1816 in altera commentationum, quas „Quaestionum patristicarum bigam" inscripsit,[4]) hanc rem copiosius illu-

[1]) „Realencyclopädie für protestantische Theologie" ed. Herzog a. 1856, tom. V. pag. 352.

[2]) „Geschichte der griechischen Literatur" sectio II, pag. 569; scripsit ibi: „Χριστὸς πάσχων, eine nur als kritischer Apparat zur Emendation dieser Tragiker zu nutzende Kompilation, als deren Verfasser mit weniger Recht der orthodoxe Gregor von Nazianz als der klassisch gebildete Presbyter Apollinaris aus Laodicea, c. 350, genannt wird," et paullo infra: „nicht unwahrscheinlich, dass Tzetzes selbst der Verfasser ist." — Addimus etiam Lehnerum in libro „Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten" 1881 et Stoppelium in dissertatione inaugurali, quam inscripsit: „Quaestiones de Gregorii Nazianzeni poëtarum scenicorum imitatione et arte metrica" (Rostochii 1881) Gregorii locos colligentes hanc tragoediam neglegere.

[3]) cf. Ellissenii l. l. pag. XXXVII.

[4]) transcripta est in Elliss. l. l. a pag. LXXXV usque ad pag. XCII.

stravit. Hoc ille quidem libello maxime Valckenarii argumenta refellere conabatur nixus testimonio multorum codicum, qui Gregorii nomen ferrent. Post eum Villemainius omnino tragoediam esse illius defendit ac maxima eam admiratione dignam esse censuit; dictionem quidem a ceteris Gregorii carminibus discrepare, sed hoc fieri eo quod fabula illa ad aliud poëseos genus pertineret.[1] Item Magninius[2] partem certe tragoediae a Gregorio compositam esse sentiebat, multa tamen adiecta esse, unde concludere ausus est alteram tragoediam factam esse a Gregorio, Antiochiae episcopo, qui saeculo VI. fuit, cui iam universitas ab aliis, quos infra commemorabimus, attributa erat, tertiam denique saeculo X. vel XI. cum his commixtam esse, fortasse a Stephano quodam, cuius Gregorius Giraldi mentionem fecerat. Contra eum Augustinus Lalanne anno 1852 ita disputavit, ut plures tragoedias contaminatas esse negaret, unam a Gregorio scriptam contenderet, cui multi ab aliis versus intexti essent. Ellissenius denique l. l. non pro certo quidem eam Gregorii esse affirmavit, sed exponere conatus est, qui eam illius esse negassent, horum argumenta non satis firma esse.

Summa vero ope Kleinius[3] a praeclarissimo illo episcopo eam compositam esse probare studuit confirmans hoc cum aliis rebus tum codicum auctoritate et his Gregorii ipsius verbis:[4] „*Καὶ οὐκ ἔχω, πῶς κουφίσω τὸ ἄλγοῦν, καὶ τίσι τοῖς ῥήμασι. Διὰ ταῦτα σιωπᾶται τὰ παλαιὰ καὶ κωμῳδεῖται τὰ νέα (κωμῳδία γὰρ τοῖς ἐχθροῖς ἡ ἐμὴ τραγῳδία)· διὰ τοῦτο τῶν Ἐκκλησιῶν ὑφείλομεν οὐκ ὀλίγον, καὶ τῇ σκηνῇ προσεθήκαμεν, καὶ ταῦτα ἐν τοιαύτῃ πόλει, ἣ σπουδάζει τὸ τὰ θεῖα παίζειν .... Ὥστε θαυμάσαιμι ἂν*

---

[1]) Journal des savants, 1845 pag. 395: „Cette infériorité était inévitable par la seule diversité des genres.“ cf. Elliss. l. l. pag. XLVIII, LV sq.

[2]) Journal des savants, 1849 pag. 22 sqq.

[3]) „Geschichte des Drama's“ tom. III, 1866, pag. 599—635.

[4]) Orat. XXII cap. VIII; in Mignei Curs. Patrol. Gr. tom. XXXV.

εἰ μὴ κἀμὲ γελάσαι," unde veri simile esse conclusit illum tragoediam ab ipso scriptam significare. Sed et ipse haud aliter ac Lalanne ea, quae cum sua sententia pugnare ei videbantur, posterioribus temporibus supposita esse statuit, velut eas partes, ubi sanctae deiparae summi honores praedicuntur (vers. 963) et ubi origo illa remissionis peccatorum nominatur (epilog.) quod nimis redoleret decretum in synodo Ephesiaca emissum.

Quoniam igitur nondum consentiunt viri docti de auctoritate Christi patientis, rem iterum examinare et alia argumenta afferendo explanare nobis proposuimus. Ac primum quidem nos de codicibus manuscriptis disserere oportet, quod illis maxime suam sententiam fulciunt, qui Gregorii esse tragoediam volunt.

II.

De codicibus manuscriptis.

Tres adhuc a Duebnero accuratius collati sunt codices, qui servantur in bibliotheca Parisiensi, signati numeris 2875, 2707, 1220, ab ipso literis C, B, A notati; quorum primus, multis in rebus a duobus alteris discrepans, saeculo XIII., alter saeculo XIV. ineunte, tertius saeculo XIV. exeunte[1]) scriptus est. Horum posteriores praebent inscriptionem: „*Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ θεολόγου ὑπόθεσις δραματικὴ κατ' Εὐριπίδην περιέχουσα τὴν δι' ἡμᾶς γενομένην σάρκωσιν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τὸ ἐν αὐτῷ κοσμοσωτήριον πάθος.*" Idem titulus praefixus est codici Matritensi XCIII., anno 1497 scripto, quem descripsit Joannes Iriarte in „Regiae bibliothecae Matritensis cod. Graec. manuscr." vol. I., nisi quod ibi *ἄρρητον γέννησιν* pro *σάρκωσιν* et *αὐτῇ* pro *αὐτῷ* praebetur. Praeterea in subscriptione Gregorii

---

[1]) Editor „Catalogi codicum manuscriptorum bibliothecae regiae Par." tom. II. censet hunc scriptum esse s. XIII. exeunte.

nomen his, quae continuo versum 2602 sequuntur, verbis repetitum est: „*Τέλος τῆς κατ' εὐριπίδην γρηγορίου τοῦ θεολόγου δραματικῆς ὑποθέσεως*" e. q. s. Neque alius est titulus in codice recentiore chartaceo olim Schwarziano, qui in „Bibliothecae Schwarzianae" parte II. pag. 8 num. XX descriptus est, excepto quod in eo bis vox *ἡμῶν* omissa est. Itidem in cod. Parisiensi 994, saeculo XV. scripto eandem inscriptionem exstare concluditur ex his verbis, quibus tragoedia in „Catal. cod. manuscriptorum bibl. reg. Par." tomo II. laudatur: „Sancti Gregorii Nazianzeni carmen Euripideum, Salvatoris incarnationem et mundo salutarem passionem complectens."

Haud secus tres alii codices Parisienses, 998, 2600, 2714 signati, quorum primus saeculo XVI., alter saeculo XV. exeunte, tertius anno 1541 scriptus est, Gregorii nomen ferunt; cum autem in catalogo commemorato ut trium Duebneri codicum ita horum inscriptiones non integrae adnotatae neque alia ad rem allata sint, decerni non potest, utrum codicibus modo a nobis commemoratis an Parisiensi C similes sint. Idem valet de codice Graeco Marciano 519, XV. fere saeculo scripto, qui notatus est in „Catalogo cod. Gr. Marcianorum" pag. 279. At in initio quidem non mutilos esse duos codices Vindobonenses elucet e Lambecii „Commentationis de Aug. bibl. Caes. Vindob." lib. IV. pag. 46 sqq. Alter eorum, CIII, mediocriter antiquus similem superioribus praebet titulum: „*Τὸ κοσμοσωτήριον πάθος, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ θεολόγου δράμα κατ' Εὐριπίδην*"; alter autem, CIV, prorsus nullam habet inscriptionem, sed praefixa est tragoediae vita Gregorii e Suida desumpta, in qua illius scriptis adnumeratum est „*τὸ κατ' Εὐριπίδην περὶ τῶν τοῦ Χριστοῦ παθῶν*," quod in Suidae codicibus non reperitur. Quae quidem res valde suspecta fuit iam Eichstadio.

Plus etiam dubitationis adhuc movit inscriptio codicis C. Priore ibi titulo eraso manus secunda inscripsit: „*Γρηγορίου τοῦ θεολόγου τραγῳδία εἰς τὸ σωτήριον πάθος*

τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.“ Ex antiquiore titulo trium versuum, quorum primus cum duodecim ferme secundi literis prorsus evanuit, haec tantum Duebnerus l. l. pag. V. se eruisse fatetur: in initio primi versus: *Στί...*, inde a secundo: „*εἰς τὸν μιαρὸν ἰούδαν π.. φιλήματι δολίῳ παρ........ον κύριον,*“ quare conclusit neque Gregorii neque alius cuiusdam poëtae ullam exstitisse mentionem. Haec tamen res ut perspicue eruatur, unus expedit codex, qui in bibliotheca regia Monacensi servatur, nunc cod. Gr. CLIV, olim CXCIII signatus neque adhuc collatus. Est chartaceus, anno 1550 a Georgio Tryphone scriptus. Continentur eo Constantini Manassis Historicum compendium, deinde Christus patiens multo elegantius scriptus, hunc sequuntur aliquot scripta Gregorii, oracula Theophili et Leonis philosophi, scholia Aeschyli. Horum operum maxima pars etiam in codice C exstat, ubi aequo modo tragoedia eminet elegantiore scriptura[1]) Multa praeterea his duobus codicibus communia sunt; uterque enim sine ulla defectus nota a v. 109 incipit, plurimae lectiones codici C peculiares, quae a codicibus A B discrepant, in his vel falsissimae, in illo quoque occurrunt; quaeque in illo a priore manu relictae sunt lacunae omnes deprehenduntur in hoc, nisi quod de v. 571 in illo *πώρους κακῶν*, in hoc tantum *κακῶν* omittitur. Sic in utroque desunt vv. 1252 et 2588 et eadem verba versuum 329, 330, 531, 591, 611, 651, 652, 671, 672 aliorumque, lacunae autem versuum 349, 431, 551, 552, 632, quae sunt in codice M, — sic semper notabimus Monacensem, — in illo a recenti manu expletae sunt.

His igitur rebus praemissis perspicuum est duos hos codices in unam classem redigendos esse. Magni inde momenti res alia deduci potest. Codici M rubris literis praescriptus est hic titulus: „*Στίχοι (τοῦ αὐτοῦ* atramento eadem ut videtur manus supra lineam addidit) *γρηγορίου τοῦ θεολόγου, εἰς τὸ σωτήριον πάθος τοῦ κυ ἡμῶν ιυ χυ,*

[1]) cf. Duebneri l. l. pag. V sq. et Elliss. l. l. pag. LVII.

καὶ εἰς τὸν μαθητὴν ἰούδαν, πῶς φιλήματι δολίῳ[1]) *παρέδωκε τὸν κύριον.*" Cum hac inscriptione verba codicis C, quae a Duebnero excussa esse supra demonstravimus, plane congruunt excepto uno vocabulo *μιαρὸν*, quod vereor ut ille recte legerit. Quae cum ita sint, nobis dubium non est, quin tota illius codicis inscriptio eadem fuerit, et liquet Gregorii nomen illic quoque a manu priore scriptum fuisse.

Ita constat Gregorio adscribi tragoediam in omnibus codicibus. Sed hanc rem examinemus! Quod scriptor codicis Vindobonensis CIV Gregorii esse Christum patientem interpolando probare studuit, maxime suspectam rem reddit. Elucere enim videtur huius vel etiam antiquioris codicis, unde hic originem duxit, scriptorem, cum auctoris nomen non legeret, Gregorio hanc tragoediam attribuendam esse putasse utque hoc probaret, in illa vita eam scriptis illius asseruisse. CM quoque codicum testimonium non est magni momenti. Cum enim initio sint mutili, non solum primos versus, sed etiam inscriptionem iam in horum exemplo interisse putandum est. Fieri deinde potuit, ut posterior aliquis pariter ipse nomen auctoris et titulum fingeret. Et hac quidem ratione causa aperitur, cur tam variae sint inscriptiones.

Liceat hoc loco pauca addere, quae sunt monenda de codice M. Plurimae quidem lectiones codici C peculiares in hoc occurrunt, sed multae etiam corruptae sunt nec minimum peccatur accentu et spiritu. Quare afferemus tantum eas horum differentias, quae sunt maioris momenti. In versibus 752 (*στερουμένη*), 1332 (*ἀναύδου*), 1553 (*ἀναφέρειν*) non cum codice C, sed BA, in versibus 1401 (*τρισημερεύσας*), 2297 (*φάλαγξ*), verisimiliter etiam in v. 244 (*ἐξανάψῃς*) cum B ei communis est recta lectio, nonnunquam etiam falsa cum ambobus in versibus 618 (*ἀπαγγέλεις*) et 2148 (*ἐξεγνωςμένων*), cum B in vv. 1401 (*θεοπρόπως*), 2015 (*δράμασι*), 2149 (*ἄμμες*), cum A in v.

---

[1]) Per totum hunc codicem omittitur iota subscriptum.

221 (*νίψασθε*). Accedit, quod compluribus locis M solus recta praebet, veluti lectio eius in v. 500 (*ἐξ ἀπόπτου*) sola congruit cum Duebneri editione, in v. 1785 autem lex metrica poscit *ζῆλόν τ'*, item in versu 117 *αἷμ' ὑπ'*, quae habet M. Praeterea veri simile est, quod fert hic unus in v. 746 (*καταβάλῃς*), recipiendum esse, id quod infra demonstrabitur. Neque est contemnenda lectio eius *ἕπεσθαι* in v. 2592, ubi C *ἔπεσθαι*, BA *ἔσεσθαι* praebent, quod receperunt editores. Sed si legimus:

Μὴ γοῦν[1]) *ἐάσῃς ἐκδοθῆναι βασάνοις*
Καὶ χάρμ' ἔσεσθαι δυσμενεῖ ψυχοφθόρῳ,

primum offendit infinitivus futuri coniunctus cum aoristo, deinde monemus etiam in vv. 2548 sqq.:

Ὁ δυσμενὴς ἥρπασε, κατήγαγέ με
Εἰς βόθρον, εἰς τάρταρον, εἰς χάος μέγα·
Σφοδρῶς διώξας κατέλαβέ μ' ὁ πλάνος

diabolum effingi homines sceleratos arripientem et ut captivos in loca inferna agentem. Quid igitur obstat, quin putemus illo loco poëtam sanctissimae virgini supplicare, ne sinat se praedam gratam sequi infestum animarum deperditorem? Itaque codicis M lectio erit recipienda.

His monitis quaeramus, num M e C ipso originem duxisse videatur. Id fortasse facile esset discernere, si constaret, quando recens manus lacunas illas in codice C explevisset. Id autem cum adhuc nemo eruerit, alia argumenta sunt afferenda. Ac primum quidem reputandum est, si lectiones codicibus B et A similes, quas ex M collegimus, emendationes essent ad horum vel alius codicis exemplum receptae, correctorem talem etiam lacunas in M expleturum fuisse. Praeterea valde dubitamus, num scriptor huius codicis, qui aliis locis non ausus est perversas lectiones mutare, in v. 571 partem certe lacunae expleverit. Multo nobis veri similius esse videtur ex eo codice, unde ambo duxerint originem, literas *πώρους* in codicem M transisse.

---

[1]) Addere velimus *μ'*.

Sed satis iam hac de re disseruisse videmur. Ceterum hanc de codicibus commentationem non tam inseruimus, ut disceptetur, num Gregorio attribuendus sit Christus patiens, quam ad explanandam rem, quam abbas Caillou l. l. pag. 1205 falsissime protulit. Verum enim aliis rebus, quod volumus, confirmare visum est. Non multa nos quidem verba faciemus, utrum tragoedia Gregorio digna putanda sit necne, — nihil enim fere hac re confirmatur, — sed acquiescimus, quae maxime memoratu digna esse nobis videbantur, ea supra attulisse; neque placet examinare, quae dogmata ecclesiastica iam tragoediae auctor significet — hoc solum commonemus Gregorii ne unam quidem laudationem vel homiliam in sanctae deiparae honorem scriptam exstare, ob eamque rem illum non videri nobis composuisse tragoediam, qua non tam Christus patiens quam mater dolorosa celebratur; — sed praetermissis aliis rebus metricas leges et vocabulorum quorundam usum et linguae conformationem perscrutabimur, ut hoc carmen non tribuendum esse Gregorio demonstremus. Id priusquam aggrediamur, alterum nobis est praemittendum. Cum enim multi Christi patentis versus ex Euripide, Aeschylo, Lycophrone desumpti sint, inprimis moneri oportet, quinam illinc effluxerint, ut his exclusis de eis, qui auctoris tragoediae proprii sunt, disputemus.

III.

De versibus tragoediae ex Euripide, Aeschylo, Lycophrone repetitis.

Primus omnium Christum patientem ad textum Euripidis emendandum adhibuit Piersonus, quem secutus Valckenarius in commentario, quem scripsit ad Hippolytum (Lugd. 1768), maiorem numerum versuum Euripideorum in tragoediam intextorum enotavit.[1]) Monuit „inesse

[1]) cf. Doeringii l. l. pag. 2 sq.

huic centoni versus aliorum nonnullos, ex Lycophronis etiam Alexandra; sed maximam partem conflatam esse ex aliquot centenis Euripidis versibus, quos de sex tragoediis desumpsisset, Hippolyto, Medea, Bacchis, Rheso, [1]) Troadibus, Oreste.“ 197 ille quidem versus enumeravit, nullum e Troadibus. Porsonus primus adiecit his sex fabulis Hecubam, cuius quattuor versus notavit cum septem ex Oreste desumptis. Praeterea Medeam commentans tricies septies Christi patientis mentionem fecit. Elmsleius quoque rarius ad Bacchas, frequentius ad Medeam lectiones eius attulit, multosque versus e Rheso petitos collegit Vater in editione huius fabulae (Berol. 1837), Benedictini vero 606 versus Euripideos notarunt. Aeschyleos autem paucos Hermannus et Klausenius commemoraverunt. Item Kirchhoffius in annotationibus criticis, quas scripsit ad Euripidis fabulas, versus ex aliis eius tragoediis et in commentatione: „Ein Supplement zu Euripides' Bacchen,“ quae inest in Philologi tom. VIII. pag. 78 sqq., multos ex hac fabula repetitos enumeravit et tertiam partem tragoediae ex aliorum versibus compositam esse statuit. Cum eo congruit Ellissenius, qui non plane septingentos versus enotavit. Addimus Nauckium quoque in „Studiis Euripideis“ aliquoties adhibere versus Christi patientis.

Numerum ab his collectum Doeringius in commentatione laudata ita auxit, ut numeraret versus

Lycophronis	9	ad	Christi	pat.	12
Aeschyli	19	„	„	„	19
Euripidis	1125	„	„	„	1273.

Neque ille tamen universos repperit. Primum quidem ad Rhesum maiorem numerum afferre potuit, ni prorsus eum latuisset editio Vateri, qui cum multos Rhesi versus transcriptos enumeravit tum hos, quos Doeringius non notavit, similes esse docuit:

---

[1]) Hunc igitur auctor tragoediae legit inter Euripideas fabulas,

Rh. vv. 41 sq.[1]) Chr. p. v. 2194 praeter v. 96; Rh. v. 185 Chr. p. v. 1925; Rh. v. 196 Chr. p. v. 1975; Rh. v. 253 Chr. p. v. 2185; Rh. v. 263 Chr. p. v. 2190; Rh. vv. 358 sq. Chr. p. vv. 2029 et 2083; Rh. vv. 404 sq. Chr. p. vv. 1750 sq.; Rh. v. 483 Chr. p. v. 2188; Rh. v. 505 Chr. p. v. 1438; Rh. v. 506 Chr. p. v. 1440; Rh. v. 572 Chr. p. v. 2411 praeter Chr. p. v. 2006; Rh. v. 609 Chr. p. v. 2058; Rh. v. 644 Chr. p. v. 2601; Rh. v. 645 cum Medeae v. 14 a Doeringio notato Chr. p. v. 2602; Rh. v. 755 Chr. p. v. 1855; Rh. v. 859 Chr. p. v. 2322 praeter 2356; Rh. v. 861 Chr. p. v. 2376; Rh. v. 933 Chr. p. v. 310 praeter v. 1411 a Doeringio allatum.

Deinde nos quoque excussimus alios complures versus, qui ex fabulis illis effluxerunt. Ad augendum numerum proponendi esse videntur eo magis, quod nonnullis eorum haec quaestio nitetur. Doeringii exemplum secuti versus Euripideos ad editionem Kirchhoffii anno 1855 vulgatam, Aeschyleos ad Hermanni enumerabimus et versus Christi patientis illinc repetitos iuxta ponemus.

Sunt versus ex Aeschylo hi:

Promethei v. 154: *Τάρταρον ἧκεν δεσμοῖς ἀλύτοις*
Chr. p. v. 2531: *Δεσμοῖς ἀλύτοις κεκρατημένος μενεῖ.*

Prom. vv. 751 sq.: *Κρεῖσσον γὰρ εἰς ἅπαξ θανεῖν*
Ἤ…
Chr. p. v. 1331:
Θανεῖν δὲ κρεῖττον ἢ θανόντα σε βλέπειν.

Prom. v. 1010: *Λῦσαί με δεσμῶν τῶνδε· τοῦ παντὸς δέω.*
Chr. p. vv. 2532 sq.:
Τοιῶνδε δεσμῶν ἀλύτων με, παντάναξ,
Ὁ δεσμολύτης αὐτὸς ὤν, Σῶτερ, λύσον.

Agamemnonis vv. 589 sq.:
Οὐδ' οἶδα τέρψιν οὐδ' ἐπίψογον φάτιν
Ἄλλου πρὸς ἀνδρὸς μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφάς.

[1]) Ne discrepantia intercedat horum versuum numeris cum sequentibus, iam hic sequimur editionem Kirchhoffii a. 1855 publici iuris factam.

Chr. p. vv. 65 sq.:
Οὐκ οἶδα τέρψιν οὐδ' ἐπίψογον φάτιν
Τινὸς πρὸς ἀνδρὸς μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφάς.

Agam. vv. 733 sq.: *Φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις*
Μὲν παλαιὰ νεά-
ζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν ὕβριν.
Chr. p. v. 39: *Φιλεῖ γὰρ ὕβρις ἡ πάλαι τίκτειν νέαν.*

Ex Euripide:

Hecubae v. 254:
Οἳ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε
cum Rhesi v. 610: *Ταύτας κτανόντε δεσπότην κομίζετε*
Chr. p. v. 1060: *Οἳ Δεσπότην κτανόντες οὐ φροντίζετε.*
Addimus hic Rhesi huic versui etiam similem esse Chr. p. v. 787: *Τὸν Δεσπότην κτείνας σε γῆς τε καὶ πόλου.*

Hec. v. 1015: *Ὤμοι μάλ' αὖθις, τέκνα, δυστήνου σφαγῆς.*
Chr. p. v. 1821:
Οἴμοι, Τέκνον μου, σῆς σφαγῆς πανταδίκου.

Hec. vv. 1048 sq.: *Ἂ ἄ·*
Σίγα . . .
Chr. p. vv. 2054, 2497: *Ἂ ἄ· σίγα, σίγα·*
Hec. v. 1067: *Αἶ αἶ αἶ αἶ, ἰὼ Θρήκης* cum v. 1048,
Chr. pat. vv. 358 sq.: *Αἶ αἶ αἶ αἶ·*
Σίγα, σίγα·

Hec. v. 1101: *Σὺ τόλμαν, Ἑκάβη, τήνδ' ἔτλης ἀμήχανον;*
Chr. p. v. 5: *Τόλμημα τολμᾶν παντάτολμον ἂν ἔτλη.*

Orestis v. 136: *ἡσύχῳ ποδί*
Chr. p. v. 2488: *ἡσύχῳ ποδὸς βάσει,*
cum quo versu comparandi sunt Chr. p. vv. 1613, 2008, 2203, ubi *ἡσύχῳ βάσει* dictum esse videtur accentus causa, ut paenultima syllaba accentum habeat.

Or. v. 137: *Χωρεῖτε, μὴ ψοφεῖτε, μηδ' ἔστω κτύπος*
Chr. p. v. 2060:
Ὑμμες δὲ μὴ θροεῖσθε, μηδ' ἔστω φόβος
Chr. p. v. 2104: *Μὴ δὴ φοβεῖσθε, μηδ' ὑμῖν ἔστω φόβος*
Chr. p. v. 2128: *Μὴ δὴ θροεῖσθε, μηδ' ὑμῖν ἔστω φόβος.*

Or. vv. 642 sq.: *Οὐκ ἐξαμαρτὼν αὐτὸς, ἀλλ' ἁμαρτίαν*
Τῆς σῆς γυναικὸς ἀδικίαν τ' ἰώμενος
Chr. p. vv. 718 sq.: *Οὐκ ἐξαμαρτὼν αὐτὸς, ἀλλ' ἁμαρτίας*
Πρώτης γυναικὸς ἐξιώμενος βλάβην.

Non recte igitur Doeringius l. l. pag. 24 ex Oreste desumptos esse versus negavit, nisi ex ea parte, quae est a v. 839 usque ad v. 940.

Medeae v. 115: *Παῖδες ὄλοισθε στυγερᾶς ματρός*
Chr. p. v. 1059: *Ὄλοισθ' ὄλοισθε, στυγεροὶ μιαιφόνοι*
eo magis, quod etiam Chr. p. v. 1047 e Med. v. 113 petitus est.

Med. v. 760: *Νῦν καλλίνικοι τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν, φίλαι*
Chr. p. v. 1247: *Ὦ καλλίνικοι, χαίρετ', ὦ φίλοι δύο.*

Med. v. 762:
Νῦν δ' ἐλπὶς ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς τίσειν δίκην
Chr. p. v. 736: *Νῦν καιρὸς ἐχθρὸν γηγενῶν τίσειν δίκην.*

Med. v. 1024: *Λυπρὸν διάξω βίοτον ἀλγεινόν τ' ἐμοί*
Chr. p. v. 785: *Μὴ γοῦν διάξω λυπρὸν εἰς μακρὸν βίον.*

Med. v. 1291: *Κείνην μέν, οὓς ἔδρασεν, ἔρξουσιν κακῶς*
Chr. p. v. 788: *Οὗτοι γάρ, ὡς ἔδρασαν, εὕρωσιν κακά*
eo magis, quod Chr. p. v. 790 Med. versui 1290 similis est.

Med. vv. 1308 sq.: *Εἰ δ' ἐμοῦ χρείαν ἔχεις,*
Λέγ' . . .
Chr. p. vv. 114 sq.: *Κἄν τί σοι χρεία λέγειν,*
Λέγ' . . .
eo quod etiam Chr. p. v. 121 e Med. v. 1306 expressus est.

Med. v. 1346: *Κρέων ἄτιμον τῆσδε μ' ἐκβαλεῖν χθονός*
Chr. p. v. 1560:
Σφᾶς δ' αὖθις αὐτοὺς ἐκ χθονὸς τῆσδ' ἐκβαλεῖς

Med. v. 1386: *Ὦ τέκνα φίλτατα*
Chr. p. v. 817: *Ὦ τέκνον ὦ φίλτατον, ὦ Θεοῦ Λόγε.*
Ad Med. v. illum et 1059:
Ὦ φιλτάτη χείρ, φίλτατον δέ μοι κάρα
etiam referimus Chr. p. v. 1110, cui par v. 2023:
Ὦ τέκνον, ὦ φίλτατον, ὦ θεῖον κάρα.

Deinde etiam comparamus cum Med. v. 1059 eumque sequenti: *Καὶ σχῆμα καὶ πρόσωπον εὐγενὲς τέκνων*

Chr. p. versum 1469: *Ὦ φίλτατον πρόσωπον, ὦ νέα γένυς,* fortasse etiam Chr. p. v. 921:

Ὦ φιλτάτη πρόσοψις, ὦ ποθουμένη

huc pertinet, quamquam hic similior est Helenae v. 637, qui incipit: *Ὦ φιλτάτη πρόσοψις.*

Hippolyti vv. 43 sq.: *Καὶ τὸν μὲν ἡμῖν πολέμιον νεανίαν*
Κτενεῖ.

Chr. p. vv. 745 sq.: *Τὸν μὲν γὰρ ἡμῶν δυσμενῆ πεφυκότα*
Ῥᾷον κτενεῖς.

Hipp. vv. 134 sqq.: *Τριτάταν δέ νιν κλύω*
Τάνδε κατ' ἀμβροσίου
Στόματος ἁμέραν
Δάματρος ἀκτᾶς δέμας ἁγνὸν ἴσχειν.

Chr. p. vv. 1008 sq.:

Τριτάταν ἁμέραν μὲν εἰδυῖα κλύω
Αὖθις φθορᾶς πάναγνον ἀνίσχειν δέμας.

Hipp. v. 585: *Τὴν δεσπότου προδοῦσαν ἐξαυδᾷ λέχος*

Chr. p. v. 284: *Τὴν Δεσπότην προδοῦσαν ἐξαυδῶ κάραν.*

Ad Hipp. vv. 569 sq.:

Ἰώ μοι, αἶ αἶ αἶ αἶ·
Ὦ δυστάλαινα τῶν ἐμῶν παθημάτων

Chr. p. v. 1818: *Ἰώ μοι· ἰώ·*

et v. 1822:

Ὤμοι ταλαίνῃ δραμάτων ἀντιστρόφων

potius referimus, quam ad Med. v. 1015:

Ὦ δυστάλαινα τῆς ἐμῆς αὐθαδίας.

Deinde Hipp. v. 569 et Chr. p. v. 604, cui par v. 2295: *Ἰώ μοι, ἰώ· αἶ αἴ* cognatione quadam coniunctos esse statuimus eo quod etiam Chr. p. v. 605 Hipp. versui 570 similis est.

Praeterea cum Hipp. vv. 569 et 574: *Ἀπωλόμεσθα...* comparandi sunt Chr. p. vv. 132 sq:

Αἶ αἶ αἶ αἴ·
Ἀπωλόμεσθ' οὐ δυσμενῶν τάχ' ὑπό του

praeter Rhesi v. 860:

Ἡμεῖς δ' ὑπ' ἐχθρῶν οὐδενὸς πεπλήγμεθα,

quod etiam Chr. p. vv. 134 sq. ex Hipp. vv. 571 sq. petiti sunt.

Hipp. v. 686: *Ἐρεῖ καθ' ἡμῶν πατρὶ σὰς ἁμαρτίας*

Chr. p. v. 209: *Ἐρῶν καθ' ὑμῶν Πατρὶ σὴν ἁμαρτίαν.*

Hipp. v. 840: *Μέλεος, οἷον εἶδον ἄλγος δόμων*

Chr. p. v. 714: *Δύστηνος*[1]), *οἷον οἷον ἔργον νῦν βλέπω*

Chr. p. v. 904: *Δύστηνος, οἷον ἔσχον ἄρτ' ἄλγημ' ἐγώ,*

quos qui sequuntur versus 715, 905, ad Hipp. v. 841 referuntur. Chr. p. v. 714 etiam similitudinem quandam habet cum Orestis v. 826: *Οἷον οἷον ἔργον τελέσας.*

Hipp. v. 1332: *Καὶ μὴν ὁ τάλας ὅδε δὴ στείχει*

Chr. p. v. 812:

Καὶ μὴν ὁ κλεινὸς ἀπὸ δὴ στείχει Πέτρος.

Troadum vv. 620 sq.: *Ἄλλος τις Αἴας, ὡς ἔοικε, δεύτερος*
Παιδὸς πέφηνε σῆς.

Chr. p. v. 983: *Υἱὸς σύ μοι πέφηνας ἄλλος, παρθένε.*

Rhesi v. 50: *Ἦλυθον ἄγγελος*

Chr. p. vv. 2386 sq.: *Θᾶττον γὰρ αὐτὸς ἄγγελος μηνυμάτων*
Ἔδραμον ἐλθεῖν,

eo quod etiam Chr. p. vv. 2389 sq. e Rhesi v. 52 effluxerunt.

Rh. v. 78:

Τίς γὰρ πύρ' αἴθειν πρόφασις Ἀργείων στρατόν;

Chr. p. v. 2314:

Τίς γὰρ πρόφασις τοῦ νεκρὸν κλέψαι δέμας;

Rh. vv. 88 sq.:

Τὰς σὰς πρὸς εὐνὰς φύλακες ἐλθόντες φόβῳ
Νυκτηγοροῦσι

Chr. p. vv. 2198 sq.: *Νέαν δ' ἔδοξε βάξιν ἐμφαίνειν φόβῳ·*
Νυκτηγοροῦντές τ' ἦσαν.

---

[1]) cf. cap. IV.

Rh. v. 165: *Τάξαι δὲ μισθὸν πλὴν ἐμῆς τυραννίδος*
Chr. p. v. 1970: *Λέγεις δὲ μισθὸν καί χάριν ὅσην ἔχεις,*
quod etiam Chr. p. vv. 1968 sq. e Rhesi v. 164 expressi sunt.

Rh. v. 175: *Οὐ μὴν τὸν Ἰλέως παῖδά μ' ἐξαιτεῖ λαβεῖν*
Chr. p. v. 1988:
Μισθὸν γὰρ αἰτῶ τῶν πόνων λαβεῖν τόδε.

Rh. v. 179: *Καὶ μὴν λαφύρων γ' αὐτὸς αἱρήσῃ παρών*
Chr. p. v. 1927: *Ὃν καὶ λάφυρ' ἐκεῖθεν ἑλκύσαι δοκῶ,*
propterea quod Chr. p. v. 1925 Rhesi versui 185 similis est.

Rh. vv. 355 sqq.: *Ὦ φίλος, εἴθε μοι*
Σᾷ χερὶ καὶ σῷ δορὶ πρά-
ξας τάδ' ἐς οἶκον ἔλθοις.
Chr. p. vv. 2025 sq.:
Ὦ τέκνον, εἴθε τάχος ἔλθοις μοι φάους·
Ἔλθοις . . .

Rh. v. 658: *Γνώσῃ δὲ καὶ σὺ τὴν ἐμὴν προθυμίαν.*
Chr. p. v. 1979: *Ἀθρεῖς γάρ, ἀθρεῖς τὴν ἐμὴν προθυμίαν*
Chr. p. v. 1809: *Αὐτοὶ δ' ἐπιγνώσεσθε τοὺς ἐμοὺς λόγους.*
Hunc versum eo magis illuc referimus, quod etiam Chr. p. versui 1808 cum Rhesi v. 656 cognatio quaedam est.

Rh. v. 747: *Σαφῶς γὰρ αὐδᾷ συμμάχους ὀλωλότας*
Chr. p. v. 1639: *Σαφῶς γὰρ αὐτὸν τοῖσιν ἐξειργασμένοις,*
quod 1637 quoque Chr. p. versus e Rhesi versu 746 originem duxit.

Baccharum vv. 299 sq.:
Ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ Δελφίσιν πέτραις
Πηδῶντα.
Chr. p. vv. 587 sq.:
Αὖ γάρ νιν ὄψει πρὸς χθόν' ὡς ἐκ παστάδος
Θρώσκοντα.

Bacch. v. 478: *Δίκην σε δοῦναι δεῖ σοφισμάτων κακῶν*
Chr. p. v. 1556: *Ἄλλων τε πάντων παγκάκων σοφισμάτων.*

Bacch. v. 722:
Θηρώμεθ᾽ ἀνδρῶν τῶνδ᾽ ὕπ᾽· ἀλλ᾽ ἕπεσθέ μοι
Chr. p. vv. 1810, 1812:
Ὑμεῖς δ᾽ ἕπεσθε νῦν, κόραι, σὺν μητρί μου
Πτοούμεναί τε μηδὲν, ἀλλ᾽ ἕπεσθέ μοι,
ideo quod Chr. p. v. 1811 similis Bacch. versui 723.

Bacch. v. 834: *Ἔξεστι· πάντῃ τό γ᾽ ἐμὸν εὐπρεπὲς*[1]) *πάρα.*
Chr. p. v. 1287:
Σιγῇ φέρ᾽· ἔσται γὰρ τὸ πᾶν πανευπρεπές.

Bacch. v. 836: *Ἦ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.*
Chr. p. v. 2287: *Ἔγωγε τοῖς σοῖς, ὡς λέγεις, πεισθήσομαι.*

Bacch. v. 986, cui par Bacch. v. 1004:
Τὸν ἄθεον, ἄνομον, ἄδικον Ἐχίονος
Chr. p. v. 1437: *Ἄπιστον, ἄθεον, παράνομον, ἄδικον.*[2])

Bacch. v. 1132: *Λιποῦσ᾽ ἀδελφὰς ἐν χοροῖσι Μαινάδων*
Chr. p. v. 1167: *Λιπὼν ἀδελφὸν ἐν χορῷ μυστηπόλων.*

Bacch. v. 1212: *Ἤδη κατ᾽ ἄστυ τειχέων ἔσω βεβώς.*
Chr. p. v. 2202: *Νύκτωρ κατ᾽ ἄστυ τειχέων εἴσω μολῶν.*[3])

Bacch. v. 1321: *Ἣν Ἄρεος ἔσχες Ἁρμονίαν θνητὸς γεγώς*
Chr. p. v. 1760: *Ἣν ἐξ ἀπάτης ἔσχες ὡς θνητὸς γεγώς.*

In sequentibus enumerabuntur versus Christi patientis, qui ex eisdem Euripideis versibus, e quibus alii a Doeringio notati fluxerunt.

Chr. p. v. 139: *Τίς ἐστι; μῶν τις τῶν φιλεῖν ἠλπισμένων;*
Rh. v. 91: *Τί δ᾽ ἔστι; μῶν τις πολεμίων ἀγγέλλεται.*

Chr. p. v. 288:
Πῶς πῶς προσεῖπας, πῶς κατησπάσω προδούς.
Med. v. 882: *Ἐξέλθετ᾽, ἀσπάσασθε καὶ προσείπατε.*

---

[1]) Sic codex, Canterus mutavit *εὐτρεπές.*

[2]) Cf. etiam evangelium Nicodemi I B 1, 1 secundum cod. Venetum Marcianum (Tischendorfii C): *Ὁ προδότης, ὁ παράνομος, ὁ ἄπιστος, ὁ ἀχάριστος.*

[3]) vide infra cap. V.; editores *μολών.*

Chr. p. v. 296: *Καίτοι πρὸς οὐδὲν κέρδος, αἰσχύνην δέ σου*
Hippolyti v. 1286:

Καίτοι προκόψω γ' οὐδὲν, ἀλγυνῶ δὲ σέ.

Chr. p. vv. 340 sq.: *Ὦ δύστροπ', ὦ κάκιστε καὶ μιαίφονε,*
Οἷον πέπραχας.

Medeae v. 1335: *Ἔρρ' αἰσχροποιὲ καὶ τέκνων μιαίφονε*
una cum Hippolyti vv. 678 sq.:

Ὦ παγκακίστη καὶ φίλων διαφθορεῦ,
Οἷ' εἰργάσω με,

ad quos versus Doeringius tantum Chr. p. v. 344 revocavit. Versus a nobis laudatos eo magis afferimus, quod Chr. p. v. 343 idem est atque Hippol. v. 680. Addimus hic Chr. p. v. 353:

Ἔρρ' ἔρρε, παγκάκιστε καὶ μιαίφονε

non solum e Med. v. 1335, sed etiam ex Hippol. v. 678 originem duxisse.

Chr. p. v. 373: *Σὺ δ' εἰπὲ, τίνι κέκριται τρόπῳ θανεῖν*
Bacch. v. 1030: *Ἐνεπέ*[1]*) μοι, φράσον, τίνι μόρῳ θνήσκει.*

Chr. p. v. 599: *Ἔμβρυον, ὡς φής, τὸν Θεὸν πλουτήσασα*
Bacch. vv. 326, 328:

Κεἰ μὴ γὰρ ἔστιν ὁ θεὸς οὗτος, ὡς σὺ φής.
Ὡς ἔστι, Σεμέλη θ' ἵνα δοκῇ θεὸν τεκεῖν.

Chr. p. v. 688: *Ὦ δεῦτε, φίλαι, δεῦτε, λίπωμεν δέος*
Medeae v. 881: *Ὦ τέκνα, τέκνα, δεῦτε, λείπετε στέγας.*

Chr. p. vv. 925, 927:

Πῶς, πῶς σιγᾷς νῦν, οὐδ' . . .
Φθέγξαι τι μικρὸν μητρὶ δυστήνῳ, Τέκνον.

Hippol. vv. 297, 300:

Εἶεν, τί σιγᾷς; οὐκ ἐχρῆν σιγᾶν, τέκνον.
Φθέγξαι τι . . .

Chr. p. v. 1025: *Ὦ παγκοίρανε πότνα, παρθέν' ὀλβία*
Hippol. v. 1434: *Χαίρουσα καὶ σὺ στεῖχε, παρθέν' ὀλβία*
una cum Hippol. v. 61: *Πότνια, πότνια, σεμνοτάτα.*
Cum Hipp. v.1434 etiam comparamus Chr. p. v. 820:

Στέγουσα νῦν ἄπιθι, μῆτερ παρθένε,

---

[1]) vide infra cap. IV.

eo magis, quod Chr. p. versibus 821 sq. similitudo cum Hipp. versibus 1436 sq. intercedit.

Chr. p. vv. 1083 sq.: Ἔβλυσεν εὐθὺς, ὡς ἐνύγη τῷ ξίφει
Ἡβῶντος ἀνδρὸς . . .

Rh. vv. 786 sq.:
Παίει παραστὰς νεῖραν εἰς πλευρὰν ξίφει
Ἀνὴρ ἀκμάζων

praeter Chr. p. vv. 1213 sq. Quo loco asserimus etiam in Chr. p. vv. 1081, 1085, 1219 e Rhesi versu 782 aliquid transisse.

Chr. p. v. 1097: Αὐτούς γε μέντοι μὴ φίλους δράσειέ τι
Med. v. 95: Ἐχθρούς γε μέντοι μὴ φίλους δράσειέ τι.

Chr. p. v. 1103: Πλευρᾶς νενυγμένης δὲ θαυμαστὸν νάμα
Med. v. 1176: Θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρός.

Chr. p. v. 1126: Οἴμοι, τί δράσω;
Med. v. 1260: Οἴ μοι, τί δράσω;

Kirchhoffius in comment. laudata in Philol. tom. VIII. pag. 87 haec verba ex ea Baccharum parte, quae interiit, effluxisse statuit.

Chr. p. v. 1238: Καὶ τῶν ἀέλπτων τὸν πόρον αὐτὸς διδοῖ
Med. vv. 1405, 1407: Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί·
Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Chr. p. vv. 1314 sq.:
Αὐτὸς δὲ δοίης καὶ προσειπεῖν σ' ὡς νέκυν
Καὶ πᾶν κατασπάσαι με σὸν μέλος, Τέκνον

Med. vv. 1057 sq.:
Παῖδας προσειπεῖν βούλομαι· δότ', ὦ τέκνα,
Δότ' ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα

praeter Chr. p. v. 1319. Hos Christi pat. versus Kirchhoffius ad Bacch. partem deperditam revocavit. Deinde ad Medeae v. 1057 referimus Chr. p. v. 462:

Φωνῆς ἀκοῦσαι καὶ προσειπεῖν, ὦ Τέκνον,

addimusque Chr. p. v. 463:

Δός μοι πρὸς αὐτοῦ Πατρὸς, ὦ Τέκνον, σέθεν

non solum e Med. v. 1391, sed etiam e versu modo allato petitum esse.

Chr. p. v. 1400: *Ὡς τῆς ταφῆς ἔδειξε φανὰς αἰσίας*
Rhes. vv. 936 sq.: *Μυστηρίων τε τῶν ἀπορρήτων φανὰς*
Ἔδειξεν.

Chr. p. vv. 1539 sq.:
Εὖ δ' εὖγε λίπῃς τήνδε δυσμενῶν χθόνα,
Εἰς ἥν γε πρῶτον ἧκες, Ἰσραὴλ δόμους.
Bacch. vv. 13, 15, 20:
Λιπὼν δὲ . . .
Βάκτριά τε τείχη τήν τε δύσχιμον χθόνα.
Εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν.

Chr. p. v. 1572: *Σὲ δ' ἐξαναστὰς εὐχερῶς ἐκρύσεται*
Bacch. v. 1327:
Σχήσουσι· σὲ δ' Ἄρης Ἁρμονίαν τε ῥύσεται.

Chr. p. v. 1601: *Πῶς σε στενάξω*
Bacch. v. 1016: *Ὥς σε στενάζω.*

Chr. p. v. 1678: *Πόλεις δὲ πολλὰς εἰσαφίκωνται, ζυγόν* praeter Chr. p. v. 1683 ad Bacch. vv. 1324 sq.:
Πολλὰς δὲ πέρσεις ἀναρίθμῳ στρατεύματι
Πόλεις . . .
propterea referimus, quod etiam Chr. p. v. 1680 e Bacch. v. 1322 petitus est.

Chr. p. vv. 1758 sq.: *Θεὸν φανέντα, φθιτὸν ἀμείψαντά σε*
Πάχος βρότειον
Bacch. v. 4: *Μορφὴν ἀμείψας ἐκ θεοῦ βροτησίαν.*
Item Chr. p. v. 1543: *Μορφῇ συνάψας τοῦ θεοῦ βροτῶν φύσιν* hinc quoque fluxit; huc eum Migneus reduxit.

Chr. p. v. 1786:
Εἴθ' εἴθε, φίλος, θαῦμα τοῦτ' ἴδοιμ' ἐγώ
1951: *Ἦν εἴθ' ἴδοιμι τάχιόν γε, Πάνταναξ·*
Rhes. v. 453: *Εἰ γὰρ ἐγὼ τόδε γ' ἦμαρ εἰσίδοιμ', ἄναξ* praeter Chr. p. v. 1785.

Chr. p. v. 1794: *Ναὶ καὶ σὺ συνάρηγε*
Med. v. 1266: *Ναὶ πρὸς θεῶν ἀρήξατ' . . ;*

Chr. p. v. 1819: *Ψυχῆς μελούσης, καρδίας παχνουμένης*
Rhes. v. 762: *Κἀγὼ μελούσῃ καρδίᾳ λήξας ὕπνου.*

Chr. p. v. 1820: *Ὕπνος βλεφάροις τοῖς ἐμοῖς πῶς ἐμπέσῃ;*
1850: *Ὕπνος δ' ἄρα μου πῶς βλεφάροις ἐμπέσῃ;*
Rhesi vv. 544 sq.: *Ὕπνος· ἄδιστος γὰρ ἔβα*
Βλεφάροις.

Chr. p. v. 2180: *Νέον τί δ' ἀγγελεῖς; τί; τάχιστα φράσον·*
Bacch. v. 1018: *Τί δ' ἔστιν; ἐκ βακχῶν τι μηνύεις νέον;*

Chr. p. v. 2192: *Ἄγ' εἰπέ· πῶς φής; πῶς λέγεις;*
Bacch. v. 1021: *Πῶς φής; τί τοῦτ' ἔλεξας;*

Chr. p. v. 2004: *Ἄμμες τάχει στείχωμεν, ὦ φίλα Κόρα*
Rhesi v. 572: *Στείχωμεν ὡς τάχιστα ναυστάθμων πέλας*
praeter Chr. p. vv. 2006, 2411.

Chr. p. v. 2210: *Ὦ τὸν φρικώδη πότμον ἐξειργασμένε*
Rhesi v. 801: *Πῶς, ὦ μέγιστα πήματ' ἐξειργασμένοι.*

Chr. p. v. 2286: *Ἐπείπερ οὐ πείθῃ σὺ τοῖς ἐμοῖς λόγοις*
Bacch v. 777: *Πείθει μὲν οὐδέν, τῶν ἐμῶν λόγων κλύων*
praeter Chr. p. v. 2277.

Chr. p. v. 2448: *Ἔστην καταπλαγεῖσα χαρᾷ καὶ φόβῳ*
Rhesi v. 279: *Ἔστειχε· θάμβει δ' ἐκπλαγέντες ἵεμεν,*
quod etiam Chr. p. v. 2449 similis est Rhesi versui 282. Conferendus etiam Chr. p. v. 2103:
Καταπλαγεῖσαι τῇ χαρᾷ καὶ τῷ φόβῳ.

Chr. p. v. 2499: *Ὄντως μεγίστου θαύματος τόδ' ἄξιον*
Hippol. v. 903: *Νεκρόν· μεγίστου θαύματος τόδ' ἄξιον.*

Chr. p. vv. 2597 sqq.:
Χαῖρ', ὦ Κόρη πάγχαρτε, μῆτερ παρθένε,
Καλλίστα πασῶν παρθένων ὑπερτάτη,
Οὐρανιώνων ταγμάτων ὑπερτέρα,
Hippol. vv. 63 sqq.: *Χαῖρε, χαῖρέ μοι, ὦ κόρα*
Λατοῦς Ἄρτεμι καὶ Διός,
Καλλίστα πολὺ παρθένων,
Ἃ μέγαν κατ' οὐρανὸν
Ναίεις.

Doeringius rettulit tantum Chr. p. v. 598:

Πάγκλυτε, παγκαλλίστα κούρη, παρθένε

ad Hippol. v. 65, alios ad Hipp. v. 61 una cum v. 65, in his Chr. p. versum 2572. Haud minus eo pertinet versus hunc sequens: *Σὺ μὲν μακάρων δάπεδον ναίεις, πόλον.*

Jam alia statuere velimus.

Chr. p. v. 354: *Ὄλοιʼ· ἐγὼ δὲ ζῶντα Παῖδʼ ἐπόψομαι* non solum ex Hecubae v. 1024 fluxit, sed etiam e Med. v. 1318: *Ὄλοιʼ· ἐγὼ δὲ νῦν φρονῶ.*

Chr. p. v. 464: *Σοῦ θεσπεσίου χρωτὸς ἅψασθαι χεροῖν* non solum e Med. v. 1392, sed etiam ex Hipp. v. 1350: *Χροὸς ἑλκώδους ἅπτεσθε χεροῖν* repetitus est, item

Chr. p. v. 590: *Ἐλπὶς δέ μοι ξύνεστιν ἀσφαλεστάτη* etiam e Troad. v. 684, qui incipit: *Ξύνεστιν ἐλπίς*, non solum e Med. v. 738, eo magis, quod Chr. p. v. 592 ad eundem revocatur.

Chr. p. versus 1513, 1519:

Ἥκεις τʼ ἐς ᾅδου τὸν βαθύγνοφον σκότον
Ἥκοντʼ ἐς ἀίδαο πανζόφου πύλας

factos esse monet Doeringius ad exemplum Medeae versus 1223:

Κόρη Κρέοντος, ἥτις εἰς Ἅιδου πύλας.

Adhibitus autem etiam est Hecubae v. 1:

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας,

qui quidem versus etiam in Chr. p. vv. 1509, 2026 transiit.

Chr. p. vv. 1973:

Δώσει δʼ ὅμως σοι δῶρʼ, ἃ καλλιστεύεται

2235: *Δώσω δέ σοι καὶ δῶρʼ, ἃ καλλιστεύεται*

e Med. v. 934, quem Doeringius attulit, et Rhesi versu 189: *Δώσω δέ σοι* . . . contaminati sunt, idque eo probabilius, quod etiam Chr. p. v. 1975 Rhesi versui 196 similis est.

Ad Chr. p. v. 837:

Ἐνταῦθα μέν σοι τῶνδʼ ἀπαλλάσσω λόγον

Doeringius adhibuit Medeae v. 806:

Ἐπείπερ ἡμῖν τόνδʼ ἐκοίνωσας λόγον,

sed ipse se dubitare indicat, signum interrogationis iuxta

ponens; nos quidem illum Chr. p. versum referimus ad Med. v. 785:

Ἐνταῦθα μέντοι τόνδ' ἀπαλλάσσω λόγον.

Denique a Doeringio adnotatum velimus Chr. p. versum 761:

Θάρσησον· εὖ γὰρ τῶνδ' ἐγὼ θήσω πέρι,

qui similis est Med. versui 913:

Θάρσει νυν· εὖ γὰρ τῶνδε θήσομαι πέρι,

mutatum esse ad Hippol. v. 523:

Ἔασον, ὦ παῖ, ταῦτ' ἐγὼ θήσω καλῶς.

Praeterea versibus a Doeringio allatis nonnunquam antecedentes vel sequentes addi possunt ut quibus singulae vel binae voces communes sint. Sed haec hactenus! Restat, ut moneamus, quae in Doeringii librum mendosa irrepserint: ad Hecubae v. 1024 non Chr. p. v. 358, sed 357 revocatur, item ad Orestis v. 893 non Chr. p. v. 404, sed 403, ad Or. v. 897, non 896 Chr. p. v. 408, ad Medeae vv. 113 sq. non Chr. p. v. 1046, sed 1047, ad Med. v. 146 non Chr. p. v. 693, sed 692, ad Med. vv. 370 sq. non Chr. p. vv. 206 sq., sed 205 sq., ad Med. v. 859 non Chr. p. v. 749, sed 739, ad Med. v. 995 non Chr. p. v. 887, sed 867, ad Med. v. 1196 non Chr. p. v. 1226, sed 1227, ad Med. v. 1261 non Chr. p. v. 475, sed 478, ad Rhesi v. 137 non Chr. p. v. 497, sed 498, ad Hippol. vv. 1181 sq. non Chr. p. vv. 257 sq., sed 256 sq., ad Hipp. v. 1161, non ad v. 1160 Chr. p. v. 1436; praeterea Chr. p. versus 967 et 968 ad Med. vv. 1371 et 1372 allati inverso ordine collocandi sunt.

Praeter fabulas supra commemoratas auctorem Christi patientis alias quoque Euripideas legisse et pauca inde intexuisse Doeringius l. l. pag. 24 sq. docet; exemplisque ab eo collectis hoc quispiam addiderit:

Phoeniss. v. 1339: . . *ὃς πᾶν ἀγγελεῖ τὸ δρώμενον*
Chr. p. v. 147: *ὅς σοι τρανῶς πάντ' ἀγγελεῖ.*

Probabile deinde est ex ea quoque Baccharum parte, quae interiit, auctorem huius tragoediae nonnullos versus repetisse, id quod Kirchhoffius in Philol. tom. VIII pag.

78 sqq. statuit. Minus assentimur Hartungio (in Euripide restituto I pag. 20 et in editione Rhesi) et Kirchhoffio (Philol. VIII pag. 85) complures tragoediae versus ad Rhesi prologum referentibus et Doeringio contendenti e Danae quoque versus esse desumptos. Maxime vero adversamur et huic et Hartungio (Eur. rest. I, 69), quod censent Christi patientis versus 936—944:

Λέβητι χρυσέῳ δὲ πέψων μοι δέμας,
Σοφῇ προμηθείᾳ με καινίσῃ ξένως.
Λυγρὸν γὰρ ἀπὸ γῆρας εὐφυῶς ξύσας
Ἀνθρωπολοιγοῦ παμπαλαίας μοι λύμης
Κοῦρον φίλον θήσειεν ἡβόωντά με

e. q. s. e Peliadibus petitos esse aliaque eius fabulae „disiecta membra in centone nostro latere.“ Recte quidem Doeringius monet versus hos inconcinne insertos neque ab auctore ipso inventos esse, sed qui legerit, quae sunt in hypothesi Medeae praemissa: *Περὶ δὲ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Αἴσονος ὁ τοὺς Νόστους ποιήσας φησὶν οὕτως·*

Αὐτίκα δ' Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα
Γῆρας ἀποξύσασα ἰδυίῃσι πραπίδεσσι,
Φάρμακα πόλλ' ἕψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησιν,

is haud amplius dubitabit, quin Christi pat. vv. 936, 938, 940 hinc repetiti sint, idque minime, si respexerit formam epicam *ἡβόωντα.*

IV.

Quae discrepantia rationibus metricis a Gregorio Nazianzeno observatis cum versibus Christi patientis intercedat.

Quoniam demonstravimus, qui versus tragoediae aliunde petiti sint, incipimus argumentari, quaenam leges metricae ab auctore eius servatae sint. In Christo patienti versus iambici leges non more Gregorii accurate observari iam docuit Fulco, [1]) quid tamen esset, quo dis-

---

[1]) cf. Riveti „Critici sacri“ lib. III. cap. XXII. — Magninius in „Journal des savants,“ 1849, pag. 18. haec refert: „Fulke, Cave, Leun-

crimen efficeretur, primus omnium monuit Heinsius, cum scriberet haec [1]): „In quo tamen scripto (si quidem hoc eius [sc. Gregorii] scriptum, cuius ne Suidas quidem, qui tres illi versuum myriadas asscribit, nominatim meminit) plurima censori qui peritus talium notanda veniunt, quemadmodum, cum temporum duorum, ut loquuntur critici, vocales ut promiscue ita passim usurpat.“ Hanc rem posteriores non porro persecuti sunt, ne Valckenarius quidem, qui simpliciter „metra centenis vicibus violata“ vituperavit; eodemque modo abbas Caillou l. l. pag. 1206 hac de re nihil aliud protulit nisi cum ex aliis rebus tum e mala versuum constructione tam saepe vituperata sequi, „Gregorio non esse ascribendum poëma.“ Novi aliquid attulit Kirchhoffius, cum moneret pedes trium syllabarum a metrica ratione auctoris huius tragoediae prorsus esse alienos, [2]) neque ipse tamen hanc rem in Gregorii carminibus accuratius examinavit. Post eum Ellissenius l. l. pag. XLVIII, non commemorans Heinsii librum, excusavit iambos tragoediae, in quibus nihil vituperari posset, nisi quod vocalium α, ι, υ mensura indiscreta esset; addidit idem, in Gregorii carminibus ceteris versus melius esse compositos, quod si accuratius excussisset, dubitamus, num tanta pertinacia staturus fuerit sententia sua.

Nostrum igitur est perscrutari et haec, quae modo attigimus, et alia, quae de metricis legibus in tragoedia observatis dicenda sunt, et cum his rationibus conferre eas, quas Gregorius in trimetris iambicis struendis secutus

---

clavius, Buonarruotti, Valckenaer, Porson refusent de reconnaître dans les iambes du *Χριστὸς πάσχων* l' exactitude métrique si remarquable dans les autres vers de s. Grégoire.“

[1]) „De tragoediae constitutione,“ 1643, pag. 198.

[2]) Philologi tom. VIII. pag. 85: „Der dreisilbige Fuss, der mit den metrischen Principien des Byzantiners sich nicht vereinigen liess, musste einmal wohl oder übel beseitigt werden,“ et ad Chr. pat. v. 1674: „Der dreisilbige Fuss, sowie der Umstand, dass der Schluss des Verses ein nicht auf der vorletzten Silbe betontes Wort bildet, beweist unwiderleglich, dass der Vers den Mönch nicht zum Verfasser haben kann.“

est, inde ut Gregorium et auctorem Christi patientis variis legibus constrictos fuisse appareat.

Ac primum quidem quod in tragoedia vocales *α*, *ι*, *υ* promiscue modo productae modo correptae sunt, non neglegentia quaedam putanda est, quam in ceteris carminibus non tam crebro Gregorius sibi permiserit, sed diversitas rationum metricarum. Id iam perspicuum erit, si quis numerorum rationem reputarit. Auctori enim tragoediae omnino illae vocales ancipites sunt, nec veritus est struere versus tales:

20: *Ἀγαθότητι δαπέδῳ κατιέναι.*
306: *Μύσταις ἔφησε καὶ σὲ συνεδριάσαι.*
930: *Θάνατον ἀθάνατον ἄγοντα κλέος.*
2067 sq.: *Ἄπιτε γοῦν, ἄπιτε, καὶ ταῦτα σφίσιν*
Εἴπατε τρανῶς· πάντα γὰρ ἔγωγ' ἔφην.

Quid quod ea licentia occurrit, ubi accentu certa mensura praescripta est, ut in v. 1479:

Ποῦ κείσεται Παῖς, κεῖσε θρηνοῦσα μενῶ

ultima syllaba verbi properispomeni producta est? Etiam in fine v. 777 codices *κρῖναι*,[1]) in fine v. 1103 *νᾶμα* praebent, quae editores in *κρίναι* et *νάμα* mutarunt, quod aliis quoque in versibus accentus tali modo mutati sunt, velut *λύσον* in v. 2533, *σημάναι* in v. 128. Atque etiam vocalis *α*, cui *ι* subscriptum est, deprehenditur correpta, velut in vv. 2494:

Πάρεστι καὶ γάρ, ὡς ὁρῶ, καὶ πόλλ' ᾄδει

et 1824:

Κἂν συνᾴδωσι τοῖς προηγορευμένοις.

Secundum hanc rationem in 139 versibus, qui sunt a. v. 2044 usque ad v. 2172, quibus pauca aliunde intexta sunt, septuagies ter vocalium *α*, *ι*, *υ* mensura non recta est, ac saepissime quidem *α* productum deprehenditur.

Iam eodem modo Gregorii carmina excutiamus! Occurrunt quidem versus, ubi in trium illarum vocalium mensura veterum leges metricae neglectae sunt, sed per-

---

[1]) In M incertum, utrum *κρίναι* an *κρῖναι* legendum sit.

pauci; quo accedit, quod aliae quoque vocales aut diphthongi non rectam habent mensuram. Fortasse etiam haud pauca menda tollerentur, si editiones Benedictinorum et Migneana accuratius praeberent codicum lectiones, quod desiderari perspiciet, qui Duebneri editionem cum illis contulerit. Inprimis saepe ponendo *ν* ephelcystico, quod dicitur, versus sanari possunt. Perscrutemur tamen pauca Gregorii carmina, qualia reperiuntur in editione Migneana! In Poëm. mor. VIII,[1]) quod 255 versus continet, de mensura vocalium *α*, *ι*, *υ* omnino veterum leges observatae sunt, exceptis versibus

136: *Τοίχων, ὀρόφων καὶ ψηφῖδος πεδοστιβοῦ*

240: *Σκόπει κἀκεῖνο, ὅσον ἐν παντὶ χρόνῳ,*

saepius autem aliarum vocalium mensura vitiosa est, velut in v. 96:

Ἐμοῦ τὰ πέμματ'. Ἄρτος ἡ καρυκεία

etiam diphthongus correpta et in versibus 97, 209, 239, 240 vocalis *ο* producta est. Item in Poëm. mor. X, 998 versuum, vocalis *α* ter, *ι* nunquam, *υ* semel vitiose correpta, et *α* ter, *ι* novies, *υ* sexies productum est. In hoc igitur tam longo carmine non saepius quam vicies bis hac in re veterum leges neglectae sunt. Praeterea autem *ε* octies, *ο* septies productum est, unde illarum literarum rationem similem esse patet, quo accedit, quod haud raro in secunda vel quarta sede spondei admixti sunt, quos si, ut aliis quoque in carminibus occurrentes, Gregorium etiam secundo, quarto, sexto loco probasse faciamus, etiam versus vitiosi carminis supra notati non tantum momenti habent. Eadem fere numerorum ratio

---

[1]) Semper non titulos transcribemus, sed numerabimus carmina secundum ordinem, qui observatur in altero tomo editionis Benedictinae (Parisiis, 1840), ubi discernuntur: Poëmata dogmatica, moralia, de se ipso, de aliis, epitaphia, epigrammata, quem ordinem assumpsit etiam Migneus, et insunt quattuor priores partes in XXXVII., hae duae in XXXVIII. tomo „Cursus patrologiae Graecae“ ab eo editi. Cetera Gregorii scripta continentur duobus antecedentibus tomis.

deprehenditur, si alia quoque eius carmina examinamus,[1]) ita ut sequatur Gregorio veterum etiam tunc leges in hac re valuisse, sed noluisse eum nimis constringi vinculis artis metricae, eiusque leges nonnunquam neglexisse.

At in Christo patienti, praetermissis vocalibus *α*, *ι*, *υ*, magna laudanda est diligentia, adeo ut in 2640 versibus, si omittimus versum ludicrum 2552:

Ἔλεε, θεὲ, νέμε χέρε, φέρε με

et v. 2560, qui sanandus est, et probamus codicis M lectionem in v. 1785: *γλυκερόν τ' ἦμαρ*, „ε" non saepius quam quinquies, in versibus

72: *Ὅτ' ἦλθεν εὐάγγελος ἀγγέλλων τόκον*
81: *Λάσκουσ', ἀνευφημοῦσα τὴν ἀγγελίαν*
1037: *Ἦν ἐσφάλην ἐγὼ δὲ τῆς ἀγγελίας*
2000: *Ἄδιστος, ἄδιστος γὰρ ἐν τοῖς βλεφάροις*
2493: *Οὐκοῦν σίγα κλύωμεν αὐτοῦ Κλεόπα,*

in quo quidem versu propter nomen proprium excusandum hoc est, „ο" quater in vv.

84: *Ζῆλον ἔμπυρον*[2]), *πνεῦμα συντετριμμένον*
725: *Ἀεὶ γάρ ἐστι τὸ γυναικεῖον φῦλον*
2204: *Στρατοῦ κατόπιν ἀκροώμενος λόγων*
217: *Καὶ πᾶσι παρέχοντα τὸ*[3]) *κατ' ἀξίαν*

non effecta positione productum sit nec plus quam novem deprehendantur spondei in sede secunda vel quarta admissi.

Sed pergamus ad alteram rem iam a Kirchhoffio prolatam! In tragoedia, exceptis tribus versibus 1461 sqq. anapaesto numero inclusis, soli occurrunt iambici trimetri duodenum syllabarum. Summa diligentia in his vitati sunt anapaesti et soluti pedes, quare ab auctore tragoediae non adhibitae sunt voces binum vel ternum continuarum syllabarum, e quibus ne una quidem secun-

---

[1]) Alia exempla collegit Stoppelius l. l. pag. 23.

[2]) Cum duae res in hoc versu offendant, mutare velimus: *Ζῆλόν τε πυρρὸν* . . .

[3]) Assentimur Duebnero *τὰ* pro *τὸ* ponenti.

dum prosodiacas eius leges longa esse potest. Qui autem ei occurrebant pedes trisyllabi in versibus ex antiquis illis fabulis desumptis, hos utut poterat, amovit aut syllabam aliquam praetermittens, aut pro particulis bisyllabis supponens monosyllabas, aut transponens verba ita, ut aliqua litera elidi posset. Huius rationis sat erit haec pauca exempla composuisse:

Bacch. v. 682:

Αἱ δ' ἀποβαλοῦσαι θαλερὸν ὀμμάτων ὕπνον

Chr. p. v. 2007: *Αἱ δ' ἀποβαλοῦσαι τὸν ὕπνον ὀμμάτων.*

Med. v. 21: *Βοᾷ μὲν ὅρκους, ἀνακαλεῖ δὲ δεξιάς.*

Chr. p. v. 51: *Βοᾷ μὲν ὅρκους, ἀνακαλεῖ δεξιᾶς*

Troad. v. 930:

Ἐξ ὧν ἐχρῆν σε στέφανον ἐπὶ κάρᾳ λαβεῖν

Chr. p. v. 1118:

Ἐξ ὧν σ' ἐχρῆν στέφανον ἐς κάραν λαβεῖν.

Inprimis semper mutatae sunt voces, quae non poterant accommodari ad has leges metricas, sic semper *δυσμενεῖς* pro *πολέμιοι*, *δύστηνος* pro *μέλεος*, *εἶπε* pro *ἔλεγε*, *εἰπέ* pro *ἔνεπε*, *μυστήρια* pro *τελεταί* suppositum est.

Ac tali quidem ratione omnes fere pedes trisyllabi amoti sunt, nec plus reperiuntur in editione Duebneriana quam decem pedes soluti, qui sunt in his versibus:

117: *Καινὸν δὲ πίτνειν αἷμα ὑπ' ἀνέρων Θεοῦ.*
626: *Ὁ μὲν παρ' οἴαχ', ὁ δ' ἐπὶ λαίφεσι βεβώς.*
756: *Καὶ γὰρ ἔρημος ἄπολις (τ') οὖσα τρύχομαι.*
1165: *Ἕστηκας, αὐτῷ θρεομένη σαυτῆς λυγρά;*
1437: *Ἄπιστον, ἄθεον, παράνομον, ἄδικον.*
1450: *Δοκῶ δὲ τοῖς θανοῦσι διαφέρειν βραχύ.*
1570: *Ἦ θεομαχεῖ τὰ κατὰ σὲ, σπονδῶν τ' ἄπο*
1585: *Αἰνῶ δὲ κρίσιν, ἄβατον ἢ πέδον τόδε.*
1674: *Λιπεῖν πόλιν τήνδ', ἀνοσίου μιάσματος.*
2219: *Θέλω δ' ἀκοῦσαι, πότερά σοι παρρησίᾳ*

et unus anapaestus in v. 2029:

Ἔλθ', ἐλθὲ, φάνηθι, προλαβὼν ἠοῦς σέλας.

Hos autem versus accuratius examinari opportet. Versum 626 Troadum versui 692, v. 1450 Troadum versui 1237, v. 2219 Baccharum versui 658 parem esse, versum 1165 ex Medeae v. 51:

Ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά;

et v. 1585 ex Baccharum v. 10:

Αἰνῶ δὲ Κάδμον, ἄβατον ὃς πέδον τόδε

et v. 756 ex Medeae v. 256:

Ἐγὼ δ' ἔρημος, ἄπολις οὖσ' ὑβρίζομαι

fluxisse in Doeringii commentatione prolatum est. Quamquam in hoc ultimo versu lectio codicum CM: *ἄπολις τ' οὖσα* et codicis B: *εὔπολις τ'* significare videntur Euripidis versum ab auctore tragoediae sic mutatum esse: *ἄπολίς τε τρύχομαι*, quod iam coniecit Duebnerus. Versum autem 2029 Euripidis Rhesi versibus 358 sq. similem esse Vater docuit, et versum 1437 nos iam supra ad Bacch. v. 986 rettulimus. Pes trisyllabus versus 117 elisione tollendus est ad auctoritatem codicis M, qui praebet lectionem *αἷμ' ὑπ'*, quam Benedictini et Migneus receperunt. Id eo magis probatur, quod etiam hiatus vocalium ab auctore Christi patientis prorsus vitabatur, quod infra explicabitur. Restat unus versus 1674. Hunc Kirchhoffius ex ea Baccharum parte, quae interiit, petitum esse coniecit fulsitque sententiam suam eo quod inesset in versu pes trium syllabarum.[1]) Quae cum ita sint, nostro iure dicimus, qui tragoediam composuit, eum pedes trium syllabarum paucos aliunde mutuatum esse, ipsum panxisse nullum.

Haud aequa diligentia Gregorius pedes trisyllabos admittere veritus est. Id perspicuum iam ex eis, quae Stoppelius in dissertatione supra commemorata inde a pag. 20 profert, de tribrachis, dactylis, anapaestis a Gregorio in trimetro iambico admissis disserens. Cui quamquam non omni ex parte assentimur, quod etiam carmen ad Seleucum scriptum, de quo infra (pag. 36 sq.) pauca

[1]) Vide verba eius, quae supra citavimus ad pag. 28.

commentabimur, in Gregorii carminibus numeravit, tamen quid eruerit afferamus. Collegit in Gregorii 7550 trimetris iambicis 95 tribrachos, 83 dactylos, 272 anapaestos, in summa 450 pedes trium syllabarum. Delectum aliquod carmen si examinamus, licet in Poëm. mor. VIII, quod habet 255 versus, congerere novem anapaestos versuum 77, 122, 136, 180, 184, 193, 215, 229, 249, solutos pedes quattuor versuum 4, 137, 167, 249. Quamquam igitur recte ille monuit Gregorium non tot pedes trisyllabos trimetris immiscuisse quot veteres fabularum scriptores, tamen plures inesse patet, quam colligas ex eo, quod Guil. Christ in libri „Metrik der Griechen und Römer" edit. sec. pag. 276 profert. Monemus hic anapaestos non solum in prima, tertia, quinta sede admitti, sed plures etiam in secunda et quarta, id quod perspicias e versibus continuis, qui sunt in Poëm. mor. X inde a versu 229:

Αὐτὸν, μεθείς τε μηλόβοτον τὴν οὐσίαν,
Ὡς ἂν κακίας ὑπηρέτιν καὶ σωμάτων
Ἀρθεὶς ὑπὲρ βωμοῦ, μεγάλῳ κηρύγματι
Ἀνεῖπεν αὑτὸν ὡς ἐν Ὀλυμπίᾳ μέσῃ
Τὸ θαυμάσιον δὴ τοῦτο καὶ βοώμενος.[1])

Atque etiam in sexta sede occurrit tribrachys in Poëm. mor. XXXIV v. 152:

Ἡ δ' εὐσέβεια προσκύνησις τῆς Τριάδος.

Quid quod etiam binos pedes trisyllabos reperias in Poëm. mor. X v. 51:

Ἀβάριδος ὀϊστὸς,[2]) *ὅστις ἦν, οἱ μυθικοί,*

---

[1]) Stoppel in 272 illis anapaestis numerat 80 in secunda, 126 in quarta sede occurrentes. — Quod de anapaestis in his duabus sedibus admissis monuimus, idem valet de eis, qui post Gregorium trimetros iambicos plus quam duodenum syllabarum struxerunt.

[2]) Non recipimus Stoppelii emendationem *Ἀβάριδος οἰστός*, qui „respiciens Nonni Dionys. XI v. 132:

Ἔκλυες αὐτὸν Ἄβαριν, ὃν εἰς δρόμον ἠεροφοίτην

alteram nominis *Ἀβάριδος* syllabam longam esse" statuit.

et ibidem v. 302:

Ἔχειν ἐκέλευσεν ὅσον δύναιτο ψηγμάτων,

Poëm. mor. XXXIV v. 90:

Ἀνελευθερίαν δέ φημι τὴν φειδωλίαν,

Poëm. dogm. XII v. 36:

Ἑπτὰ δὲ καθολικαὶ, ὧν Ἰακώβου μία,

Poëm. de se ipso XI v. 225:

Βασίλειος ἦν, τὸ μέγ' ὄφελος τοῦ νῦν βίου.

Poëm. de se ipso XII v. 744:

Ὧν Καλλίμαχος καὶ Κάλαϊς ἤστην, ὡς δοκῶ,

Poëm. dogm. VI v. 74:

Τῆς εὐσεβείας περιγραφομένης τοῖς τότε,

quibus asserimus Poëm. mor. X v. 360:

Ἕνα τῶν ἐλεφάντων ὑπερφυᾶ τε καὶ μέγαν,

quem cum Stoppelio corruptum iudicamus.

Haec reputanti nullius momenti est, quod minora carmina, velut Poëm. mor. XVIII und XIX, quorum prius 16, alterum 9 versus continet, carent pedibus trisyllabis. Constat igitur hac quoque in re longe alias leges secutum esse auctorem tragoediae atque Gregorium.

Transeamus nunc ad aliam rem a nullo adhuc demonstratam! Per totam tragoediam, exceptis iis locis, quibus hiatus interiectionibus efficitur, ubi ne veteres quidem ab hac licentia abhorruisse constat,[1]) velut in v. 617:

Αἶ αἶ

et in v. 136:

Ἔκλυες ὦ, ἄιες ὦ, ἤκουσας ὅς,

qui versus repetitus est ex Hippolyti v. 362, summa diligentia vitantur concursus vocalium. Ac praeter v. 117, quem supra sanavimus, non saepius quam in uno v. 1808:

Χώρει· μέλειν γὰρ πάντα οἱ δοκεῖ φίλων

vocales hiant. Quod si reputassent editores, non tam temere nonnullis locis codicum lectionem ita mutassent, ut hiatus efficeretur. Sic, ut exempla pauca afferamus, Benedictini et Migneus in v. 118 *τὸ ἀθάνατον* pro *τὸν*

---

[1]) cf. Christ: „Metrik der Griechen und Römer" ed. sec. § 53.

ἀθάνατον, in v. 223 νάμασι pro νασμοῖσιν, in v. 690 Κἀγὼ τόνδε λιποῦσα εἰς τί καὶ τρέσω; pro Κἀγὼ δὲ τόνδε λοιπὸν εἰς τί καὶ τρέσω; scripserunt, et Ellissenii editio in v. 2116 δέσποινα, αἵ φίλαι pro δέσποινα, φίλαι σοι praebet.

At Gregorii carmina qui perleget, ei et in trimetris iambicis et in aliis metris permultae occurrent vocales hiantes, non solum, ubi per veterum leges licebat, sed etiam ubi minime concessum erat; quin etiam insunt versus, in quibus bini hiatus deprehenduntur, velut in Poëm. de se ipso XII v. 692:

Τούτων τί ἂν γένοιτο ἐνδικώτερον;

in Poëm. mor. XIX v. 9:

Ἢ καπνὸν ἢ ὄνειρον ἢ ἄνθος χλόης,

in Poëm. mor. XV v. 3:

Εἴ τι μέγ᾽ ὡς μὲν ἔγωγε ὀίομαι, οὐδὲν ἐόντες.

Atque cui libebit, is poterit in omnibus maioribus Gregorii carminibus magnum hiatuum numerum colligere. Sed pauca haec attulisse sufficiet: In Poëm. mor. VIII, quod est 255 versuum, quaterdecies, ex his in versibus

3: Ὁ κοσμικός τε καὶ ὅσος τοῦ πνεύματος.
68: Καὶ τῶν καλῶν δοτῆρα οὐχ ὑμνεῖ Θεόν.
81: Τὰ δὲ βλέποντα οὐ καλοῖς ἐν ὄμμασι,

in Poëm mor. X, quod habet 998 versus, sexagies quinquies, in Poëm. dogm. X, 74 versuum, septies vocales concurrunt. Magnam igitur hac quoque in re dissimilitudinem inter tragoediam et Gregorii carmina intercedere perspicimus.

Excipiendum inde esse monemus carmen ad Seleucum scriptum, quod falso Gregorii poëmatibus de aliis factis octavo loco ab editoribus additum est, quamquam plurimi codices, in his Coislinianus et Vaticanus, Amphilochio episcopo Iconiensi tribuunt,[1]) cui etiam ascripsit Harlesius in Fabricii „Bibliothecae Graecae“ tomo VIII pag. 377. Inprimis Combefisius codicum auctoritate nixus docuit „desiderari in hoc carmine Gregorii cothurnum,“

---

[1]) cf. quae praefantur huic carmini Caillou et Migneus.

quod autem maximum est, auctorem eius cum Gregorio de numero librorum sacrae scripturae dissentire, ut commemoranti libros, qui Esther et Apocalypsis inscribuntur, quorum non fecisset mentionem Gregorius. Huc accedit, quod auctor huius carminis hiatus vocalium tanta diligentia vitavit, ut in 337 trimetris iambicis non saepius quam semel, in v. 282:

Διώνυμόν τε ἄγγελον Μαλαχίαν

vocales concurrant. Aliis autem in rebus veterum leges metricae saepius neglectae sunt quam a Gregorio solebant, inprimis saepius vocales productae sunt.

Pergimus ad aliam rem, quam Kirchhoffius loco supra notato (pag. 28 ann.) attigit, cum proferret in Christo patienti paenultimam syllabam cum accentu esse solere. Non tantum quidem quantum ille huic rei momenti attribuere velimus, quoniam in tragoedia non desunt versus ab auctore ipso facti, ubi illa lex neglecta est, sed tamen examinanda hac re aliquid concludi potest.

In Gregorii enim iambicis trimetris nihil talem legem olet, sed varii sunt accentus ultimorum versus vocabulorum; sic in Poëm. dogm. X, quod 74 versus continet, triginta tres, in Poëm. dogm. VI, quod 116 est versuum, quadraginta unus versus non habent accentum in paenultima syllaba.

At in Christo patienti iam talem legem observari elucet, atque est ubi hac de causa versus aliunde desumpti mutati sunt; sic *ἡσύχῳ βάσει* pro *ἡσύχῳ ποδί*, *ἐφωρμημένον* pro *ὁρμώμενον* (Chr. p. v. 1861, Hippol. v. 1141), *καὶ πόλῳ* pro *κουρανῷ* (Chr. p. v. 57, Med. v. 57) positum est. Numerus si quaeritur, ex continuis 154 versibus 2378—2531 non plus quam tredecim, quorum duo ex Euripide desumpti sunt; ex versibus 920—1007, octo versus, de his tres e Medea repetiti, non in paenultima syllaba accentu insigniti sunt.

Haec hactenus de rationibus metricis.

V.

Quemadmodum Gregorii atque eius, qui Christum patientem composuit, linguae consuetudo dissimilis sit.

Incipiamus nunc exponere, quomodo linguae quoque conformatio et usus vel flexio vocabulorum aliaque id genus dissimilia sint. Inprimis tragoediam legentibus vox *κάρα* anomale declinata notabilis esse videtur. Est enim auctori eius plerumque non generis neutrius sed feminini, et declinatur instar nominum primae declinationis in versibus 284: *Τὴν Δεσπότην προδοῦσαν ἐξαυδῶ κάραν*, 851: *πάντιμον κάραν*, 1093 sq.: *καὶ κάραν ἔχρισεν*, 1118: *ἐς κάραν λαβεῖν*, 1143: *στέφων κάραν*, 1470: *σὴν κρύπτω κάραν*, 2332: *οὐ νὴ σὴν κάραν;* 673: *διήνεγκαν κάρας*, 1835: *πρὸς ἄλλων κάρας*. Quamquam usitatam veteribus flexionem non desideres, velut *ὦ θεῖον κάρα* in versibus 1110 et 1227, *κρᾶτα* in v. 1466, quibus asserimus insolitam genitivi formam *καρός* in v. 1208, quod fugisse videtur Kirchhoffium docentem voce *κάρα* auctorem tragoediae constanter generis feminini usum esse.[1]) In Gregorii libris illam declinationem non repperimus nisi uno loco, in Poëm. de se ipso LVIII v. 5:

Εἰς γῆν ἀποστράφηθι καὶ κάραν πατοῦ,

quod num a Gregorio ita scriptum sit, valde nos quidem dubitamus.

Itidem maxime notabilis est in tragoedia particula *ναί* saepe usitata, in versibus 510, 928, 1262, 1474, 1620, 1794, 1968, atque etiam, quomodo aliae quoque voces saepe duplicatae deprehenduntur, geminata in his versibus: 851: *Ναὶ ναὶ βλέπω*, 942: *Ναὶ ναὶ τρύχει γῆρας*, 1900: *Ναὶ ναὶ, φάλαγξ, ἄπιθι*, 1903: *Ναὶ ναὶ μένωμεν*, 1912: *Ναὶ ναὶ προσήκει*, 2009: *Ναὶ ναὶ τάχει στείχωμεν*, 2421: *Ναὶ ναὶ πρὸ πασῶν ἤδ' ἔδραμεν*, 2578: *Ναὶ ναὶ, Κόρη πάγ-*

---

[1]) Philol. tom. VIII pag. 87.

χαρτε, τοὺς λόγους δέχον. At in Gregorii libris eam particulam perraro, velut in Poëm. de se ipso XLV vv. 9,39, LIX v. 7, in Poëm. de aliis I vv. 233, 235, IV v. 101, VII v. 239, Epigr. XVI v. 7 positam legimus, geminatam nunquam.

Nec minor dissimilitudo intercedit, si respicitur gradus comparativus in Christo patienti saepe superlativi vicem praestans. Non solum enim, quomodo *θᾶσσον* in Homericis carminibus, velut *Z* 143, *B* 440, *Δ* 64, a Sophocle aliisque veterum scriptoribus nonnunquam ita dicebatur, ut significet *θᾶσσον ἢ νῦν* vel *θᾶσσον ἢ εἴωθας* vel *ὡς τάχιστα*, simili modo occurrit *θᾶττον* in versibus

747: *Θᾶττον δ' ἀνιὼν τοὺς ἀλάστορας τίσεις,*

1254: *Ἄνιτ' ἄνιτε θᾶσσον,*

1945: *Ἥξω δὲ θᾶττον,*

1985 sq.: *Βάθ' ὡς τάχιστ', ἐμοὶ δὲ θᾶττον, ὧν ἐρῶ,*
Εὐάγγελος γένοιο

et in versibus 777, 967, 1429, 2171, 2386, 2416, 2475, *τάχιον* in vv. 1951: *Ἢν εἴθ' ἴδοιμι τάχιόν γε*, 2292: *Ἀλλ' ἀπίωμεν τάχιον*, et *ῥᾷον* in v. 746:

Ῥᾷον κτενεῖς σὺ καὶ καταβαλεῖς μόρον,

sed hoc comparativi genus coniunctum etiam est cum particula *ὡς* in v. 2008:

Ἥξουσιν ὡς τάχιον ἡσύχῳ βάσει;

quod vero maximum est, relativi quoque superlativi vicem praestat comparativus in v. 727:

Ἴδ', ὦ γυναικῶν ἐξ ἁπασῶν βελτίων;

quod plane abhorret a Gregorii ratione dicendi.

Aeque insolita huic sunt verba *μολῶ, ἐρῶ*, quod est „dico“, *θίγω* vitiose flexa, quae huius tragoediae auctor flectere solebat, quasi *μολεῖν* et *ἐρεῖν* infinitivi praesentis et *ἔθιγον* tempus imperfectum esset, quod perspicuum e versibus

1872: *Πολλὴ φάλαγξ ἔνοπλος εἰς τάφον μολεῖ.*

215: *Ὄψεσθε δ' ἐν Πατρὸς μολοῦντ' αὖθις κλέει.*

1109: *Αὐτὸς δ' ὁ νύξας ἔντρομος πεσὼν θίγει.*

871: *Φόβος νεκροῦ θίγειν*, 1220: *φόβος θίγειν.*

2232 sqq.: *Ὅσ' οὐ κατὰ γνώμην ἐρεῖν ἡμῶν ἔχεις,*
Κρύφθ'· ὡς ἀθῶος δι' ἐμοῦ πάντων ἔσῃ,
Ἐροῦσ' ὀπαδοὺς τὸν νέκυν κλέψαι λάθρα.

Etiam verbo *ἐρεῖτε*, quod est in v. 2520, antecedunt imperativi *ἄπιτε* et *ᾄσατε*, quare potius imperativum quam futurum esse putamus. Praeterea in v. 1877 codices C M B A praebent *μολοῦντας*, quod retineri, non in *μολόντας* mutari oportet; nec minus velimus recipere *μολῶν*, quod codex M in v. 2202 habet.

Sed iam disseremus de usu temporum et modorum verbi. Inprimis statuemus auctorem Christi patientis non solum secundarias sed multo saepius etiam principales sententias pronuntiasse coniunctivo aoristi, qui explet vicem futuri,[1]) idque ita, ut saepe in eadem sententia e duobus verbis unum secundum veterum dicendi rationem futuro, alterum, quod ei par est, insolito illo modo pronuntiatum sit, velut in vv.

238 sq.: *Οὔ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται Θεοῦ,*
Οὐ νεκρεγέρτου νεκρέγερσιν κατίδῃς.

298 sqq.: *Ἐγώ τε γὰρ λέξασα κουφισθήσομαι*
Ψυχὴν τἀληθῆ, σύ τε κοὐ κλύων μάθῃς,
Μάθῃς γὰρ εὑρὼν τὴν κατ' ἀξίαν τίσιν.

1260 sq.: *Ἡμεῖς δ' ἄνιμεν, ὡς ὁρᾷς, καὶ τὸν νέκυν*
Καταγάγωμεν.

1407 sq.: *Ἀλλ' οὐκ Ἰούδας οὐδ' ὁ τάλας Πιλάτος*
Διπλῆν δίκην φύγωσιν, ἀλλὰ σφᾶς τίσει.

1645: *Κτανεῖ γὰρ αὐτὸν κἀντιπορθήσει*[2]) *γένος,*

1647: *Ποινάς τ' ἀδελφῶν καὶ πατρὸς πρῶτον λάβῃ.*

1738: *Ἐκεῖθεν ἔλθῃ πᾶσί τε γνωσθήσεται.*

2385: *Ἥξουσί σοι πολλοὶ δὲ καὶ τὸ πᾶν μάθῃς.*

1694 sq.: *Λακίσει τάλας*
Ἴδῃ τε δεινὸν ἦμαρ· οὐδὲ παύσεται. (cf. v. 1678.)

---

[1]) De hac ratione iam Bernhardyus in „Syntax der griechischen Sprache“ pag. 394 sq. et Hermannus in „Opusculorum“ tom. II. pag. 30 et Mullachius in libro „Grammatik der griechischen Vulgärsprache“ pag. 361 pauca disseruerunt.

[2]) Sic legendum, quod iam monuit Doeringius l. l. pag. 6 sq.

Praeterea non accedente futuro saepius quam tricies is, qui tragoediam scripsit, coniunctivo aoristi ita usus est. Etiam in v. 2511, ubi codices CM ἴδεϑ', [1]) B ἴδηϑ', A ἴδητ' praebent, malimus legere ἴδηϑ' quam ἴδεσϑ', eodem modo in v. 746, ubi codex C καταβάλεις, A B καταβάλλεις, M καταβάλῃς praebet, ultimi huius lectionem praeferimus ei, quam Duebnerus recepit, καταβαλεῖς, et in v. 244, ubi codices CA ἐξανάψεις, MB ἐξανάψῃς habent, horum lectio nobis recta esse videtur.

Haud aliter praesentis coniunctivus futuri indicativi vicem praestat in v. 1057:

Ἀλλ' οὐκ, ἐγῷμαι, ταῦτ' ἀνατὶ παρίῃ

antecedentibus verbis ἀλγήσετε, μενεῖτε, δόξετε, et in vv. 2254 sq.:

Καὶ τοῦτο δ', ὡς ἔοικεν, εἰςορᾶν ἔχῃ
Συνιέναι τε πᾶς ϑεωρῶν τὸν τάφον.

In Gregorii carminibus principales sententias coniunctivo modo praesentis dictas non deprehendimus, aoristi coniunctivo pronuntiatas futuri loco non repperimus nisi in his versibus:

Poëm. mor. XXXII v. 121 sq.:

Εἰ λοξὰ μὴ βαίνουσι καρκίνων γόνοι,
Πεῖραν λάβωσι μητρικῶν βαδισμάτων.

Poëm. de se ipso XV v. 27, 29 sq.:

Τίς μὲν ὅλην ϑεότητα μετὰ φρεσὶν ᾗσι βάληται
Ἠὲ νόῳ πυκινῷ τε καὶ εὐσϑενέεσσι λόγοισιν,
Ἀντιπάλων ἐπέων ϑυμὸν ἀποσκεδάσει;

quibus adici potest talis coniunctivus antecedente relativo pronomine in Poëm. mor. X v. 939:

Ὅπερ ὑπερβὰς συγγένωμαι τῷ ϑεῷ·

Qui autem afferri possunt alii coniunctivi, velut in Poëm. mor. XXII v. 5:

Ποῖ τις τράπηται; πῶς φύγῃ κακῶν φοράν;

---

[1]) Evang. Lucae XXIV, 39: ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε, ὅτι . . . .

Poëm. de se ipso XXX v. 131 sq.:

Ποῦ τις μεταστῇ καὶ τίνων
Γένηται πλησίον;

Poëm. de se ipso XII v. 549: *Ἀλλ' ἐκεῖνο πῶς φύγῃς;* [1]) non futuri vicem explent, sed sunt deliberativi. Perspicuum igitur in Gregorii scriptis rarius deprehendi hanc rationem, quam ut cum Christo patienti possint componi.

Magis etiam differunt inter se usu infinitivi aoristi. Gregorius enim hac in re veterum normam observavit, in Christo patienti haud raro ille etiam futurum tempus significat, quod perspicere licet e versibus his:

7: *Θεώσεως πεισθεῖσα τυχεῖν αὐτόθεν.*
76 sq.: *Πεισθεῖσα τῷ φέροντι θέσκελον φάτιν,*
Οὐχὶ σφάγιον μηνύουσαν μ' ἐκτεκεῖν.
452: *Οἷς εἶπε παθεῖν χερσὶ τῶν ἀλαστόρων.*
944 sq.: *Ἀλλ' αὐτὸς ἀλύξαι με πημάτων ἔφη,*
Αὐτὴν πρὸς αὐτὸν μητέρα στρέψαι τ' ἐμήν.
1191 sq.: *Ὡς αὐτὸς εἶπεν, ἤματι τρίτῳ πέρας*
Τὰ λυπρὰ λαβεῖν γηθοσύνῃ καρδίας.

et in vv. 1197, 1700, 1767, 1927, 1961, 2093, 2133.

Deinde huius tragoediae auctor multo saepius usus est optativo aoristi pro indicativo futuri vel pro optativo cum particula *ἄν*, item multo frequentius particulas *ἐάν*, *ἄν*, *ἤν*, *ὅταν* cum indicativo vel optativo et *εἰ* cum coniunctivo coniunxit et particulis *ἕως*, *ὅπως* aliisque non rectum verbi modum adiunxit, quam Gregorius.

Haud minor dissimilitudo intercedit, quod Gregorius temporibus quoque verbi secundum veterum normam usus est, qui Christum patientem composuit, persaepe eas leges neglexit, adeo ut videatur eas elegisse formas, quae ad versum aptari possent, quod perspicitur ex eo, quod saepe etiam recto tempori inusitatum est adiunctum. Sic haud raro res praeteritae non aoristo graeco, sed tempore perfecto narrantur, velut in versibus:

---

[1]) Benedictini converterunt „effugies?“

2045 sq.: *Πῶς δ' ἐκκυλισθεὶς ἀθρόως ὦπται λίθος;*
Κενὸς δ' ὁρᾶται καὶ τάφος τοῦ Δεσπότου.
2137: *Ὁ γὰρ φανεὶς εἴρηκεν εἰπεῖν καὶ Πέτρῳ.*
2205: *Ὁ δ' εἶπεν οὕτως, ἐμφόβῳ τολμηρίᾳ,*
2207: *Εἴρηκεν οὖν, εἴρηκε πρὸς πρεσβυτέρους.*
2250 sqq.: *Τὰ πάντα κατηύγασεν, ἡμᾶς δὲ τρόμῳ*
Ὡσεὶ νεκροὺς τέθεικεν ἐξεστηκότας.
Γῆς γεῖσσ' ἐσαλεύθη γὰρ ἀσχέτῳ κλόνῳ,
Αἴφνης δ' ὁ λίθος ἐκκεκύλισται τάφου.

Eodem modo in sententiis secundariis perfectum pro aoristo vel plusquamperfecto scriptum est in vv.

575 sq.: *Ἐπεὶ βροτὸν πέπλακεν ἐκ γῆς ὁ Πλάσας,*
Λείμακί τ' ἐντέθεικε φυτῶν ἐργάτην,
578: *Δράκων δέ νιν ἔσπευσε . . .*
2319 sq.: *Ὃν ἀπονητὶ στρατὸς οὐκ ἔθηχ' ὅσος*
Τέθεικέ τε σφραγίδας ἐκτὸς τοῦ λίθου.
2430: *Εἶδόν θ' ἅτιν' εἴρηκε Μαρία σφίσιν,*

cui quidem rationi e Gregorii carminibus unus locus Poëm. de se ipso XI v. 923:

Ἅ τις γυνὴ τέτμηκεν εἰς ἐχθρῶν χάριν

comparari potest, ubi perfectum vicem praebet plusquamperfecti.

Haud aliter atque perfecti, etiam plusquamperfecti usus cum legibus dicendi in hac tragoedia pugnat. Exemplo sunt versus hi:

1429 sqq.: *Ὦπτο κρεμαστοῖς ἐν βρόχοις ἠρτημένος·*
Βρόχων δὲ θᾶσσον ὑψόθεν χαμαιριφὴς
Πίπτει πρὸς οὖδας.
1653 sq.: *Καὶ τῶνδ' ἕκητι καὶ βροτὸς πέφηνέ πως,*
Φρικτῶν θ' ὅδ' ἀνὴρ θαυμάτων ὦπτο πλέως.
2396: *Ὃ καὶ πρὶν ὦπτο βαῖνον ὑγρὰν ὡς πέδον.*

At in Gregorii carminibus excepto uno loco Poëm. de se ipso XIV v. 63:

Ἔρριπτο θηρσὶν ὁ Δανιὴλ ὥσπερ φίλοις

non reperitur talis usus; cum autem antecedant hi versus:

Ἐπρίζεθ' Ἡσαΐας, ἀλλ' ἐκαρτέρει,
Τὸ πῦρ ἐδεξιοῦτο τοὺς τρεῖς ἐν ξένῃ,

pro certo nobis est Gregorium scripsisse *ἐρρίπτετο*.

Maxime vero offendit, quod auctor Christi patientis hunc insolitum temporum usum sibi concessit etiam in sententiis, quas dicimus irreales; et licet hoc perspicere in longo circuitu, qui est a v. 3 usque ad v. 20:

Οὐ γὰρ ἂν πλευρᾶς φύμα
ἂν ἔτλη,
Οὐδ' ἂν
Λειμῶνος ἐξῴκιστο
Μήτηρ τέκνων τ' ἤκουσεν
Ἱδρῶτ' ἂν ᾤκει
Οὐδ' ἂν γένος τ' ὄλωλεν ἀνθρώπων ἅπαν
Καὶ τὸν Δυνατὸν ἀλθανεῖν ἔπεισέ πως.

Praeterea ut a Gregorii ratione dicendi omnino discrepans notandus esse nobis videtur infinitivus perfecti vitiose scriptus in versibus

188: *Ἔδοξε δ' αὐτὸς ὑπό του πεπυθέναι*
2474: *Οἵ καὶ τρέχουσι τοῖς φίλοις εἰρηκέναι*

et in vv. 713, 885, 1328.

Accedit, quod auctori tragoediae verbum *κέκραγα* non solum praesens tempus significat, ut in v. 1115, sed etiam praeteritum in vv. 842, 855, 1221, quod apud Gregorium frustra quaesieris. Item a Gregorii dicendi ratione verbum *φάναι* nonnunquam aoristo primo flexum discrepat, occurrit enim *ἔφησε* in vv. 306, 405, 2224, *ἔφησας* in v. 1240, *ἀντέφησε*, quod compositum a dictione Gregorii abhorret, in vv. 182, 2241. Hoc loco aliae quoque dissimilitudines afferri possunt, sed ea, quae exposuimus, sufficere putamus. Nonnulla etiam infra explicabuntur, quae nunc praetermittere nobis liceat, ne sint repetenda.

Expositis igitur rationibus metricis et legibus quibusdam dicendi probasse videmur, tragoediam, quae inscribitur *Χριστὸς πάσχων*, Gregorio omnino non esse attribuendam.

VI.

Christum patientem ne aetate quidem Gregorii conscriptum esse.

Adempta illi auctoritatis gloria primum quaerendum est, quo tempore tragoediam exstitisse verisimile sit. Hoc quoque rebus, quas supra examinavimus, porro persequendis enucleare nobis proposuimus. Sed prius refellenda sunt, quae alii non recte coniecerunt.

Magnini coniectura nobis est reicienda, si praeter ea, quae iam Ellissenius l. l. pag. LXIV sq. monuit, in omnibus pariter tragoediae partibus leges supra expositas observatas esse reputamus.

Apollinarium deinde, episcopum Laodicenum, Gregorii aequalem, potius auctorem tragoediae habendum esse quam Gregorium primus saeculo XVI exeunte coniecit cardinalis Caesar Baronius, cuius sententiam complures deinde comprobarunt,[1]) postremus omnium Sathas, qui in libro: „*Ἱστορικὸν δοκίμιον περὶ τοῦ θεάτρου καὶ τῆς μουσικῆς τῶν Βυζαντίνων ἤτοι εἰσαγωγὴ εἰς τὸ Κρητικὸν θέατρον,*“ Venetiis anno 1878 edito, pag. *σξε´* sq. veri simile esse dicit Apollinarium tragoediam scripsisse. Et conetur quispiam hoc confirmare eis, quae Sozomenus in Historiae ecclesiasticae lib. V cap. XVIII[2]) affert: „*Ἐπραγματεύσατο δὲ καὶ τοῖς Μενάνδρου δράμασιν εἰκασμένας κωμῳδίας καὶ τὴν Εὐριπίδου τραγῳδίαν καὶ τὴν Πινδάρου λύραν ἐμιμήσατο, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἐκ τῶν θείων Γραφῶν τὰς ὑποθέσεις λαβὼν τῶν ἐγκυκλίων καλουμένων μαθημάτων, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ἐπενόησεν ἰσαρίθμους καὶ ἰσοδυνάμους πραγματείας.*“ Sed ab hoc eam scriptam esse omnino negari oportet, quia doctrinae in ea Apollinario prorsus contrariae proferuntur, quod iam recte monuerunt Caillou

---

[1]) cf. Elliss. l. l. pag. XXI, et Riveti „Critici sacri“ lib. III. cap. XXII et quod supra attulimus ad pag. 5.

[2]) Mignei „Curs. Patrol. Gr.“ tom. LXVII, pag. 1269.

l. l. pag. 1204 et Ellissenius l. l. pag. XXI et Kleinius l. l. tom. III pag. 634 sq. Docetur enim in vv. 1638 sq., 1490, 1535, 1795 in Christo duas naturas fuisse coniunctas, nominaturque *διφυής*, quem non vere hominem factum esse, sed carnem tantum animamque rationis expertem assumpsisse Apollinarius docebat.

Huc accedit, quod etiam Apollinarii ratio versus struendi a legibus in Christo patienti observatis valde discrepat. Permagnae enim parti trimetrorum Apollinarii, qui versioni aliquot psalmorum praescripti sunt,[1]) pedes trisyllabi inserti sunt, ad quod demonstrandum hos paucos versus ex psalmo LIX attulisse sat erit:

v. 1: *Ἐπίγραμμα τοῦτο πραγμάτων ὑπὲρ χαρᾶς.*
v. 3: *Ὑπὲρ τὸ νομισθὲν τῷ βασιλεῖ πεπραγμένων.*
v. 6: *Τὴν Μεσοποταμίαν πυρπολεῖ κατὰ κράτος.*
v. 11: *Ὡς δ' οἶδεν ἀλλοίωσιν ἀγαθῶν πραγμάτων*
v. 12: *Δαυΐδος, ἐνεφορεῖτο θείου πνεύματος,*
v. 13: *Ἐπέταξε πορθεῖν τῷ στρατηγῷ συντόμως,*
v. 14: *Ὑμνεῖ δὲ πεντηκοστὸν ἀμφ' ἐνάτῳ μέλος.*

Praeterea concurrunt vocales, velut in versibus:
Πρῶτον Δαυΐδος καὶ εἰκοστὸν μέλος (ps. XXI)
et *Εἶτ' αὖ ἀνεῖλε τὸν γυναικὸς εὐνέτην* (ps. L).
Aliis autem in rebus veterum leges metricae et prosodiacae diligenter observatae sunt.

Quid quod Amphilochius etiam plures quam Gregorius pedes trium syllabarum iambis suis admiscuit? Apparet inde illius aetatis poëtas minime eisdem quibus auctorem Christi patientis legibus constrictos fuisse, qua de causa aliis hunc temporibus compositum esse statuimus.

Nostrum igitur est enucleare, ad quem usque terminum veterum leges dicendi et metricae rationes observari solitae sint et a quo inde tempore eae, quas auctor tragoediae secutus est, valere coeperint, inde ut aliquid de aetate statui possit.

---

[1]) Apollinarii scripta, quae exstant, edita sunt in Mignei „Curs. Patr. Gr." tom. XXXIII. pag. 1313 sqq.

VII.

Quo tempore eae, quas tragoediae auctor tenet, leges metricae exstiterint.

Primum quidem disseremus de pedibus trisyllabis.[1]) Hos Petrus Silentiarius, qui Iustiniani tempore floruit, trimetris iambicis immiscere adeo non veritus est, ut saepius quam veteres tragoediarum scriptores eos admitteret. Sic in carminis, quod *Ἔκφρασις τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας Σοφίας* inscribitur,[2]) primis quinquaginta versibus duodecim anapaesti, totidem pedes soluti, in summa 24 pedes trisyllabi colliguntur. Item deprehenduntur pedes trisyllabi admixti iambis Georgii Pisidae,[3]) qui floruit ineunte saeculo VII, quamquam in carminibus accuratius elimatis perraros, velut in carmine in resurrectionem domini 129 versus amplectenti nullum, in Heracliadis I acroasi 241 versuum unum pedem solutum versui 100, anapaestos tres versibus 146, 226, 229 intexuit. Summa vero iam ope veritus est trimetros iambicos plus quam duodenum syllabarum pangere Ioannes Damascenus, qui fuit saeculo VIII, adeo ut in tribus Canonibus, quos Guil. Christ et Paranikas in „Anthologia Graeca carminum Christianorum" pag. 205 sqq. ediderunt, quorum primus

---

[1]) De legibus, quas recentiores poëtastri in trimetris iambicis pangendis secuti sunt, primus accurate disseruit Struve anno 1820 Regimontii in libello scholastico, qui repetitus est in Friedemanni et Seebodei „Miscellaneis criticis" tom. II, 1823, pag. 637 sqq.; nonnulla etiam Henrichsen in libro „Über die sog. politischen Verse bei den Griechen,".1839 pag. 33 sqq. — De pedibus trisyllabis cf. etiam Guil. Christ „Metrik der Griechen und Römer" ed. II. pag. 276 et eiusdem „Anthologiam Graecam carminum Christianorum" pag. LXXVI.

[2]) Scripta eius reperias in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. LXXXVI part. II pag. 2119 sqq.

[3]) Huius carmina edidit Guerci in Foggini „Corporis historiae Byzantinae nova appendice," Romae 1777. Apud hunc deprehendi pedes trisyllabos iam Struve l. l. pag. 643, annot. et Henrichsen l. l. monuerunt.

et secundus centenis tricenis, tertius 135 versibus conclusus est, ne unus quidem pes trisyllabus reperiatur. Ille igitur iam legem observavit, quam posterioribus temporibus Ioannes Tzetzes protulit in carmine, quod de metris[1]) composuit. Docuit enim haec:

Τὸ κοινὸν καὶ κατατετριμμένον,
Ὧν τὸ καθ' ἓν ἐξάχωρόν ἐστιν, ἀλλ' οὐχ ἐξάπουν.
Καὶ τὸ κοινὸν μὲν δέχεται τούςδε τοὺς τρεῖς τοὺς πόδας·
Σπονδεῖον καὶ τὸν ἴαμβον μετὰ τοῦ πυρριχίου,
Καὶ μόνος μὲν ὁ ἴαμβος εἰς πάσας πίπτει χώρας,
Πρώτην, δευτέραν, τρίτην τε, τετάρτην, πέμπτην, ἕκτην,
Ὁ δὲ σπονδεῖος εἰς τὰς τρεῖς, εἰς πρώτην, τρίτην, πέμπτην,
Μόνος δ' αὖ ὁ πυρρίχιος εἰς ἕκτην πίπτει μόνην.

Cui quidem trito et illis temporibus vulgo usitato versui Tzetzes versus veterum poëtarum opposuit his verbis:

Γνώρισμα δὲ τοῦ τραγικοῦ τοῦτο τυγχάνει μέτρου·
Τὸ μόνον ἕνα δέχεσθαι πόδα τῶν τρισυλλάβων,
Εἰς χώραν τὴν ἁρμόζουσαν ἐκεῖνον παραπέμπειν.
Τὸ τῶν σατύρων δέχεται δύο τῶν τρισυλλάβων,
Τρεῖς δὲ καὶ πλείους δέχεται τὸ κωμικὸν τὸ μέτρον.

Eademque qua Ioannes diligentia hanc legem tenuit Ignatius diaconus grammaticus, qui circa annum 820 fuit, in cuius 143 iambis in Adamum [2]) nullus pes trium syllabarum reperitur, nec minus diligenter hoc observavit imperator Leo philosophus,[3]) qui ab anno 886 usque ad annum 911 regnavit, et Theodosius diaconus,[4]) cuius Acroases V de Cretae expugnatione anno 963 factae prorsus carent pedibus trisyllabis. At egrediuntur non saepe quidem hunc certum duodenum syllabarum numerum tri-

---

[1]) *Περὶ μέτρων*, inest in Crameri „Anecdotorum Graecorum" tom. III; hic locus inde a pag. 308 v. 16. Sunt versus qui dicuntur politici.

[2]) edidit Duebnerus cum Christo patienti.

[3]) carmina eius insunt in Matrangae „Anecdotorum Graecorum" tom. II. pag. 557 sqq.

[4]) Mignei Curs. Patr. Gr. tom. CXIII. pag. 987 sqq.

metri Ioannis Geometrae,[1]) qui saeculo XI. ineunte floruit. Summa vero diligentia illam legem observarunt, qui infra eum fuerunt, Michael Psellus,[2]) Ioannes Euchaitensis,[3]) qui fuerunt saeculo XI., Nicetas Serraeus,[4]) qui c. a. 1100 vixit, Leo Bardales,[5]) qui exeunte saeculo XII. floruit, aliique, quorum aetas minus nota est; inprimis autem eam tenuerunt Ioannes Tzetzes, cuius regulam iam supra attulimus, et Theodorus Prodromus, aequales Leonis Bardalis, et Nicetas Eugenianus, qui sequenti saeculo vixit. Theodorus enim, ut exemplum afferamus, in amorum Rhodanthae et Dosiclis[6]) primis VI libris plus quam tribus millibus versuum exstructis ne unum quidem pedem trisyllabum admisit, quod idem valet de dialogo, qui *Ἀπόδημος φιλία* inscribitur, 294 trimetros amplectenti,[7]) et de Catomyomachiae[8]) 384 versibus. Item in Tzetzae 343 trimetris, qui *Παίδων ἀγωγή* inscribuntur,[9]) anapaestus nullus, pes solutus unus in v. 340:

Ἐχρῆν σε τὸ φρόνημα κἂν ὂν βασιλέως

reperitur, qui facile amovetur, si pro codicis lectione *κανὸν* non *κἂν ὄν*, sed *κἂν* legimus.[10])

---

[1]) ibidem tom. CVI.

[2]) carmina eius reperias in Boissonadii „Anecdotorum Gr.“ tom. I. pag. 175 sqq., tom. III. pag. 429 sqq.

[3]) Curs. Patr. Gr. tom. CXX.

[4]) Boissonadii l. c. tom. III. pag. 323 sqq.

[5]) ibid. tom. I. pag. 399 sqq.

[6]) ed. Hercher in „Eroticorum scriptorum Graecorum“ tom. II.

[7]) edidit Duebnerus una cum Christo patienti.

[8]) Adhibenda est editio Hercheri, Lips. 1873; alii inscribunt Galeomyomachiam.

[9]) ed. Kiessling ad calcem Tzetzae „Historiarum variarum Chiliadum“ pag. 509 sqq.

[10]) De hac ratione excipiendi sunt Tzetzae iambi artificiales *(τεχνικοί)*; in his ille veterum versus imitari studebat insertis ut illis peculiaribus nonnullis pedibus trisyllabis. Bene de his et de universa Tzetzae iamborum structura Hartius in cap. VIII libri „De Tzetzarum nomine vitis scriptis“ Lips. 1880 disseruit. Cf. Henrichsen l. l. pag. 33 sq.

Per eadem haec saecula vocales α, ι, υ promiscue productas et correptas persequemur. Gregorii et proximis ab eo temporibus ista licentia tamquam legitima nemini concessa erat. Primus eam assumpsit Georgius Pisida, id quod huius tragoediae mentione non facta iam Henrichsenius in l. l. pag. 33 docuit, quem secutus est Nicolaius.[1]) Sed tantum abest, ut in trimetris eius iambicis haec neglegentia tam frequenter admissa occurrat quam in Christo patienti, ut in aliis carminibus non saepe, in eis, ad quae limanda maiorem diligentiam contulit, perraro veterum leges prosodiacae sint violatae, velut in carmine in Christi resurrectionem 129 versus amplectenti non saepius quam semel in v. 127:

Ὑφ᾽ οὗ κυηθεὶς ἀπάτωρ γίνῃ πλέον,

et in Heracliadis acroasi prima, quae est 241 versuum, quinquies. Quid quod ab eis, qui sequentibus tribus saeculis iambicos trimetros scripserunt, nondum illa licentia adscita est, sed in harum trium vocalium mensura omnino veterum leges observatae sunt? Non magni quidem momenti est, quod Ioannes Damascenus in Can. II v. 85 loco secundo πλύνει posuit, quoniam etiam in Can. III. v. 55:

Ἡ γλωσσοπυρσόμορφος πνεύματος χάρις

et in Can. III. v. 65 quarto loco et in Can. I. vv. 30 et 115 sexto loco spondeus occurrit. Haud magis offendere potest, quod Leo philosophus in Apologiae v. 31:

Ἐγὼ δὲ καλῷ καλὸν ἐγγράφω λόγον

eodem quo Homerus modo mensus est vocem καλός. Ignatius quoque grammaticus adeo veterum leges observavit, ut in carmine in Adamum non occurrant versus vitiosi excepto uno v. 61:

Μὴ δὴ σὺ ταῦτα σαῖς φρεσὶ λαβοῦ, γύναι,

qui quidem facile sanatur addendo ν ephelcystico. Cavendum igitur, ne eo, quod Henrichsenius l. l. pag. 35 contendit hoc carmen omnino recentiorum rationibus me-

---

[1]) „Geschichte der griech. Literatur" sect. II. pag. 545.

tricis accommodatum esse, mensuram quoque vitiosam hic iam deprehendi concludamus. Pergamus ad Theodosium diaconum. Huius in Acroasi I, 272 versus amplectenti, si excipimus v. 219 mancum, *υ* nunquam, *α* semel in v. 31:

Δίκασον αὐτὸς, καὶ προσωποληψίαν,

ι quinquies falsam habet mensuram, sed ex his quinque versibus tres, 46, 162, 198 restituto *ν* ephelcystico facile sanantur, versus autem 226:

Πέπλοις δὲ λαμπροῖς ἐστόλισεν αἰθέρα

iam a Migneo emendatus est, cum mutaret *ἐστόλιζεν*, et in v. 269:

Θεοδοσίου μὴ παραβλέψῃς πόνους

haec licentia nomine proprio excusatur. Ceterum Theodosius in propriis nominibus *ο* quoque produxit in versu modo allato et in vv.

37: *Αἴας, Ἀχιλλεὺς, Ὀδυσσεὺς, Διομήδης,*

258: *Ἄφες, Ξενοφῶν, τοὺς ἀνικήτους γράφειν,*

quibus adicimus *ε* productum in v. 211:

Εἰ δ' ἦν κλαπείς τις εἰς ἀμερίμνους ὕπνους

et spondeos non recte admissos in vv. 24, 37, 267, ita ut illa licentia non tantum habeat momenti.

Perraro etiam vocales *α*, *ι*, *υ* indiscrete productae aut correptae sunt in iambicis trimetris Ioannis Geometrae. At omnino eadem quae in Christo patienti trium illarum vocalium mensura est in versibus Pselli, Ioannis Euchaitensis, Nicetae Serraei, Leonis Bardalis quique post eos fuerunt.[1]) Horum igitur aetate Christum patientem factum esse statuimus.[2])

---

[1]) In his etiam est Manuel Philes, qui c. a. 1320 fuit, cuius de versibus Struve l. l. disseruit. — Est ubi etiam haud secus atque in Christo patienti accentus mutatus est, ne offendat, ut in Theodori Prodromi Rhod. et Dosiclis lib. VIII v. 77: *τεχνίται*, v. 379: *δράμα*, v. 393: *κλάε* q. e. plora, lib. IX v. 36: *δράμα*, v. 165: *πράσιν*, v. 413: *δράμα*.

[2]) Eadem de causa Sauppeus in Mus. Rhen. 1843 pag. 444 sqq. censet versus Asclepiadi falso attributos non ante VII. saeculum factos esse. Idem exposuit ille in „Nachrichten von der Göttinger Uni-

Nonnihil etiam efficitur quaerendo, quibusnam in carminibus aeque atque in hac tragoedia hiatus vocalium vitati sint. Atque in Georgii Pisidae illius quidem trimetris iambicis perraro concurrunt vocales, velut in carmine in Christi resurrectionem nunquam nisi in uno v. 13:

Καὶ εἷς ὁ αὐτὸς καὶ κατάρχει τῶν ἄνω,

crebrius apud Ioannem Damascenum, cuius in tribus Canonibus novem hiatus colliguntur, eademque fere ratio exsistit in versibus Pselli et Ioannis Geometrae, summa autem ope iam ante hos in trimetris iambicis hiatus admittere veriti sunt Ignatius diaconus, Leo philosophus, Theodosius diaconus, quorum in carminibus supra examinatis ne semel quidem vocales concurrunt; eandem legem diligenter observarunt Ioannes Euchaitensis quique post eum fuerunt. Ad quod confirmandum pauca exempla attulisse sat erit. Theodorus Prodromus in Rhodanthae primis sex libris nusquam eam legem neglexit nisi in his versibus:

lib. II. v. 401: *Νέους ἀγαθοὺς καὶ φιλεῖν εὖ εἰδότας.*
lib. III. v. 478: *Κεραύνιε Ζεῦ, ἀστραπηφόρον κράτος.*
lib. IV. v. 243: *Ἥλιε, διφρεῦ ἅρματος πυροτρόχου,*

qui quidem versus aliquoties iteratus est in initio stropharum. Item in Tzetzae carmine de puerorum institutione non plus quam tres hiatus reperiuntur in versibus

64: *Κἂν μὲν κατορθώσωμεν εὖ εὐβουλίαις*
227: *Ἐν δ' αὖ Ἀθήναις ἦσαν οἱ δικασπόλοι*
236: *Καὶ τῶν δικαίων αὖ Ἀριστείδην λέγω.*[1])

---

versität und Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften in Göttingen" 1860 Nr. 23 pag. 252 de fabulis, quas Menas in monte Atho reppererat.

[1]) Hartius in libro „De Tzetzarum nomine vitis scriptis" pag. 74 censet Tzetzen tales hiatus non tam diligenter vitasse, quod *υ* ante vocales similiter pronuntiabatur atque Germanicum „v." Exemplis ab illo allatis addenda sunt, quae Theodori supra notavimus et *αὖ* hiatum efficiens in ignoti auctoris carmine in S. Theodorum, vv. 155, 158 (ed. Wernsdorf cum Philae carminibus). Fortasse etiam tales hiatus tollendi sunt interponenda particula *γ'*, quae nonnunquam in Tzetzae et Theodori carminibus addita est vocabulis *αὖ* et *εὖ*. —

Quam modo exposuimus legem metricam, eo magis nobis proferenda esse videbatur, quod omnes hi scriptores, quos in trimetris iambicis hiatum diligenter evitasse docuimus, in versibus, quos alio metro panxerunt, inprimis in versibus politicis multos hiatus admiserunt.[1])

Quo tempore poëtae leges supra examinatas observare coeperunt, eodem fere alia quoque nova ratio inducta est. Solebant enim in fine versuum tales voces ponere, quarum paenultima syllaba accentum habet. Id in Ioannis Damasceni quidem canonibus[2]) tam saepe non observatum est, ut non possimus statuere eum iam talem legem secutum esse, multo diligentius iam tenebatur a Georgio Pisida, cuius in carmine in resurrectionem domini non plus quam 10 versuum paenultimae syllabae accentu carent, a Leone philosopho, Ignatio Grammatico quique post eos floruerunt. Sic in Theodosii diaconi Acroasi I, si neque probamus *σταθμοῦ*, quod vocabulum Migneus in fine versus 32 manci supplevit, neque *ἰσοκρατεῖς*, quod Cornelius in v. 261 pro *ἰσοκράτους* supposuit, et reputamus in v. 159, qui scribitur

Βουλὴν συνηθροίζοντο τὴν αὐτόκτονον,

iam sensum poscere *αὐτοκτόνον*, omnes paenultimae syllabae accentu insignitae sunt. Et in Theodori Prodromi Rhodantha, 4600 fere versuum, non plus quam 28, in Tzetzae 91 iambis funebribus ad Manuelem imperatorem[3]) nullus, in Nicetae Eugeniani vero fabulae amoris Drosillae et Chariclis[4]) 3550 trimetris non plus quam duo versus reperiuntur, in quibus ea ratio est neglecta.[5])

Idem Hartius l. l. pag. 67 sqq. recte monuit Tzetzen hiatus in versibus artificialibus minus diligenter vitasse.

[1]) De politicis versibus hoc iam bene Guil. Christ in libro „Metrik der Griechen und Römer“ pag. 374 (ed. II.) monuit.

[2]) Quomodo in his cantus accentibus aptatus sit, egregie exposuit Guil. Christ in „Anthologia Graeca carminum Christianorum“ pag. CII.

[3]) ed. Matranga in „Anecdotorum Graecorum“ tom. II. p. 619 sqq.

[4]) ed. Hercher in „Eroticorum scriptorum Gr.“ tom. II. p. 435 sqq.

[5]) cf. quod Hercher l. l. pag. XLIII sq. protulit. Tzetzen hanc legem in versibus artificialibus nonnunquam neglegere Hartius l. l. pag. 68 sqq. dixit.

Apparet igitur eas leges metricas, quae deprehenduntur in Christo patienti, non ante Georgii Pisidae tempora exstitisse, primis infra eum saeculis non diligenter observatas esse, eandem prorsus rationem versus pangendi non occurrere nisi apud scriptores, qui post annum millesimum fuerunt, in his praecipue apud Theodorum Prodromum, Nicetan Eugenianum, Tzetzen. Id cum perpendimus, facere non possumus, quin hac aetate tragoediam scriptam esse censeamus.

VIII.

E genere dicendi, quod est in Christo patienti, sequi eum XII. fere saeculo scriptum esse.

Ut vero pluribus argumentis hoc confirmetur, nunc aequo modo, quae de genere dicendi supra notata sunt, inde a Gregorii temporibus persequemur.

Non multum quidem refert quaerere de usu comparativi *θᾶσσον, τάχιον* pro superlativo absoluto. Hic enim usus iam invalascere coepit non multo post Gregorii aetatem, atque reperiuntur tales comparativi apud Gregorium Agrigentinum, qui circa annum 600 floruit, velut in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. XCVIII pag. 11: *θᾶσσον αὐτῶν ἀποιχομένων*, ibid. pag. 30: *Ἀποκριθήσεται θᾶττον ἀντ᾽ αὐτοῦ καὶ φήσειεν*, saepeque posteriores scriptores, ut Theodorus Abucara,[1]) Photius[2]) eo ita usi sunt.

At relativi superlativi loco adhibitus comparativus proprius est recentiorum linguae vulgaris.[3]) Multa quidem multorum patrum scripta perlegentes in nullo libro ante Theodori Prodromi tempora scripto talem repperi-

[1]) vixit circa annum 770; insunt scripta eius in Curs. Patr. Gr. tom. XCVII inde a pag. 1445.

[2]) ibidem tom. CIV.

[3]) vide Mullach: „Grammatik der griechischen Vulgärsprache“ cap. VIII, 5; XLI, 3.

mus, multos in huius libris, etiam cum genitivo partitivo coniunctos, velut in Rhod. et Dos. lib. I vv. 488 sq.:

Χαίροιτε, δεῖπνα καὶ πότοι τῶν ἐν βίῳ
Καὶ τῶν τραπεζῶν ἡ πολυτελεστέρα,

ibid. lib. II vv. 83 sq.:

Ἄλλως δὲ καὶ σὺ ταῖς τρυφαῖς εἰθισμένη
Καὶ τῶν τραπεζῶν ταῖς πολυτελεστέραις.

l. IV v. 194: *Εἴπερ γὰρ ὁ Ζεύς, τῶν θεῶν ὁ βελτίων,*
l. III. v. 140: *Καὶ τῶν κρατήρων τοῖς ὑπερχειλεστέροις*
et in lib. III vv. 139, 187. Similis est etiam Tzetzae Theogoniae [1]) v. 129:

Ὧν τὰς πολλὰς ἐάσομεν, λέξομεν δὲ τὰς κρείττους.

Perfecto tempore pro aoristo iam sexto saeculo Petrum Thessalonicensem usum esse Mullachius l. l. pag. 53 demonstravit. Atque adeo iam multo ante eum apud Athanasium exempla huius rationis colligi possunt, velut in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. XXV pag. 532: *ὅτε εὐηγγελίζετο καὶ ἁλιεὺς ἀνθρώπων γέγονε* et ibidem pag. 549: *καθ' ἧς ἐκεῖνοι γεγόνασί τε καὶ ἀπεφήναντο.* Eodem modo res praeteritas fere tempore perfecto narravit Theodorus Abucara, multique post illum hanc rationem secuti sunt, velut Theodorus Prodromus in Catomyomachiae vv. 306, 374, Tzetzes in carmine de poëtarum discrimine in Crameri Anecd. Gr. tom. III pag. 336 v. 5 et pag. 341 v. 2, Nicetas Eugenianus in Dros. et Char. lib. IV v. 325.

Plus refert examinare, ex quo tempore iste usus temporis perfecti irreales quoque sententias complecti coeperit. Atque ante saec. XII. nulla exempla indagavimus, nonnulla repperimus in libris Tzetzae, velut in carmine de metris in Crameri Anecd. Gr. tom. III pag. 329 v. 13 sq.:

Οὐκ ἂν γὰρ ὑπερβέβηκεν οὔτε συντεθειμένος
Τοὺς τριακοντατέσσαρας χρόνους τοὺς προρρηθέντας,

et in Allegoriarum in Iliad. *Θ* vv. 50 sqq.:

Καὶ δὴ μικρὸν ὑφ' Ἕκτορος νεκρὸς ἂν ἦν ὁ γέρων,
Εἰ μή περ τοῦτον κατιδὼν ὁ Διομήδης τότε
Τὸν Ὀδυσσέα φεύγοντα κέκραγε συνεργῆσαι,

---

[1]) Matranga: „Anecdota Graeca“ tom. II.

et in Prooem. in Iliada (Matrangae Anecd. Gr. tom. I) vv. 1008 sq., 1011:

Οὗ καὶ τροπὴ καθολικὴ γέγονεν ἂν Ἑλλήνων,
Εἰ μὴ τὸν Τέλεφον αὐτὸν . . . .
Ὁ Ἀχιλλεὺς εἰς τὸν μηρὸν ἔτρωσε δορατίσας,

et Theodori Prodromi, velut Rhod. et Dos. lib. I vv. 235 sqq.:

Κἂν μὲν φυσικὸς τῆς τελευτῆς ὁ τρόπος,
Ἢ τὴν ἐρυγὴν τὴν κινητικωτάτην
Ἔθου πατρικαῖς γνησίαις ἐπ' ἀγκάλαις,
Ὤιμωξα πάντως . . . . .
Ἀλλ' εἶχεν ἡμῖν καὶ τέλος τὸ δάκρυον[1])
Καὶ μέτρον ἂν δέδωκα ταῖς ἀλγηδόσι.

et Nicetae Eugeniani, velut Dros. et Char. l. V vv. 9 sq.:

Ἣν εἴ τις εἶδεν ὕπνον ἀφεῖσαν τότε,
Εἴρηκεν ἄν.

et ibidem lib. VI v. 620.

Haud minus momenti habet infinitivus perfecti praesentis vicem explens, cuius exempla e Christo patienti supra attulimus. Primum talis usus occurrit apud Ignatium grammaticum, in cuius carmine in Adamum leguntur hi versus 58 sq.:

Ἔφησε παντὸς ἐκ ξύλου βεβρωκέναι,
Τούτου δὲ γεῦσιν τοῦ φυτοῦ φυγεῖν μόνον,

deinde in carminibus Theodori Prodromi, velut Catom. v. 310:

Προσῆλθον, ὦ πότνιά, σοι πεφρακέναι,

ibid. v. 111, Rhod. et Dos. lib. I v. 230 sqq.:

Ἐγὼ μὲν ἀτέλεστον εἶχον ἐλπίδα
Ὑπὸ σκιὰν σὴν παῦλαν ἐξευρηκέναι,
Σκέπης δὲ τυχεῖν ὑπὸ σοῖς καλοῖς κλάδοις,

et in Tzetzae libris, velut De poëtarum discr. in Crameri Anecd. Gr. tom. III pag. 337 vv. 15 sqq.:

Τούτοις δὲ κοινὸν τοῖς τρισὶ χοροστάταις
Ἐν τετραγώνῳ τῇ στάσει καθεστάναι,

---

[1]) Censemus nos quidem legendum esse *δακρύειν* propter legem supra expositam.

Τράγον δὲ πρὸς δώρημα τῆς νίκης φέρειν
Καὶ δημοσίαν τὴν τροφὴν ἐσχηκέναι
Μιμητικῶς δὲ πάντα δρᾶν τῇ θυμέλῃ

et in epistola III pag. 4 ed. Pressel:

Ἔδεισε τοῦτο πεποιηκέναι

et in Theogoniae v. 598:

Καὶ γὰρ πρῶτον σοὶ μυθικῶς εἶπον σοὶ γεγραφέναι

et apud Nicetan, velut Dros. et Char. lib. VIII v. 273:

Εἰληφέναι γοῦν ἐκ δυοῖν ἀνδρῶν ἔχω,

ibid. lib. VII vv. 99 sq., lib. VIII v. 302.

Plusquamperfectum quoque pro aoristo suppositum huius aetatis proprium est. Haud raro occurrit in libris Tzetzae, Theodori Prodromi, Eustathii erotici, horum aequalis, Nicetae Eugeniani, e quibus pauca haec exempla attulisse sat erit: Tzetzae Prooem. in Iliad. v. 1075:

Οὗτος ὁ δόλιος ἀνὴρ ὡς πρὸς αὐτοὺς εἰρήκει,

eiusd. De metris, Cram. Anecd. Gr. tom. III pag. 317 vv. 30 sqq.:

Καὶ περὶ τούτων δὲ σαθρῶς καὶ φαύλως ἐκδιδάσκει
Τὸ δέγε ὑπὲρ δίμετρον στίχον κακῶς εἰρήκει,
Οὐδέ γε περὶ λέξεων λέγει μονοσυλλάβων,

ibid. pag. 322 v. 4:

Καὶ πρότερον εἰρήκειν σοι καὶ πάλιν φράζειν θέλω,

et ibid. pag. 324 v. 34, pag. 329 v. 15, dein Theogoniae vv. 463 sq.:

Αἰνείας δὲ τὴν Κρέουσαν λαβὼν τὴν τοῦ Πριάμου
Ἐκ ταύτης τὸν Ἀσκάνιον φίλον υἱὸν ἐσχήκει.

Theodori Catom. v. 80:

Τί γοῦν; ὄνειρον ἐμφανῶς ἑωράκεις;

Rhod. et Dos. lib. VI vv. 179 sq., Nicetae Dros. et Char. lib. VI v. 378 sq.:

Θεὸν βαρύν σε θᾶττον ἐγνώκειν, Ἔρως,
Εὗρον δρυμῶνος θρέμμα,

ibid. lib. III vv. 355, 62, lib. VI v. 29, lib. IX v. 233; *Ὠλώλειν* saepe in Eustathii fabula amorum Hysmines et Hysminiae[1]) legitur, ubi *ὄλωλα* exspectatur.

---

[1]) ed. Hercher in Erotic. script. Gr. tom. II.

Κέκραγα quoque eadem aetate ita dictum reperitur, ut vim praeteriti temporis habeat; occurrit quidem apud Ioannem Geometram l. l. pag. 996:

Πρὸς Κύριον κέκραγα συσχεθεὶς πόνοις
Κἀκεῖνος εἰσήκουσε, [1])

et in Eustathii erotici Amoribus Hysminiae et Hysmines *Λ*, cap. 14 (pag. 169 in Hercheri „Erot. script. Gr.“ tom. II): *Ἀνακέκραγε . . . . Ἐγὼ δὲ . . . εἴρηκα* et apud Tzetzen in Alleg. in Iliad. *Θ* v. 52, quem supra pag. 55 attulimus. Theodorus autem et Nicetas saepe etiam plusquamperfecto simili modo usi sunt.

Haud ita multum refert quaerere de aoristi coniunctivo in locum futuri succedenti; hic enim usus iam inde a Gregorii temporibus paullatim invalescere coepit, et saepe iam a saeculo VI. occurrit. Maioris momenti sunt loci, ubi infinitivus quoque aoristi vicem futuri explet, [2]) quales reperiuntur apud Tzetzen, velut Theog. vv. 300 sq.:

Τῆς μάμμης Γῆς εἰπούσης,
Τὸν ἐκ τῆς Μήτιδος υἱὸν λαβεῖν τὴν βασιλείαν,

Prooem. in Iliada v. 160:

Ἑλλάδα πᾶσάν τ᾽ ἔλεγε δούλην αὐτῷ ποιῆσαι,

et in Alleg. in Iliadis *Γ* v. 76 in Matrangae Anecdot. Gr. tom I, et apud Theodorum Prodromum, velut in Rhod. et Dos. l. IX vv. 105 sqq.:

Τίς ἐγγυᾶται καὶ θεοὺς ὄμνυσί μοι
Μὴ . . . .
Ἐλθόντα συνδῆσαί με δεσμοῖς ἀλύτοις
Καὶ δοῦλον ἐκπέμψαι με πρὸς τὴν πατρίδα.

Catom. vv. 189 sq.:

Δοκῶ γὰρ αὐτὸν σὺν πάσῃ στρατηγίᾳ
Θανεῖν.

---

[1]) cf. Psalm. CXX, 1: *Πρὸς κύριον ἐν τῷ θλίβεσθαί με ἐκέκραξα καὶ εἰσήκουσέ μου.*

[2]) „Infimae aetatis Graeculos Byzantinos aoristi et futuri infinitivi distinctionem ignorasse,“ monet Madvigius in „Adversariorum criticorum“ tom. I pag. 168 ann.

Pergimus ad aliam rem exponendam, quam supra de Christo patienti disserentes non attulimus. Auctor eius post coniunctionem ἐπεί optativo aoristi usus est, ubi secundum veterum leges dicendi sententia pronuntianda erat indicativo, hoc loco:

v. 153: Ἐπεὶ τὸ πάσχα καινὸν, ὡς ἔφη, φάγοι,
v. 157: Ἔξεισιν, ὡς εἴθιστ᾽, ἐλαιῶν εἰς ὄρος.

Talem quidem usum non repperimus ante saec. XII. At colliguntur haud pauca exempla in libris Theodori Prodromi, velut Rhod. et Dos. lib. V vv. 45 sq.:

Ἐπεὶ δὲ τἄνδον ὁ Βρυάξης ἐκμάθοι,
Αὐτᾷ τι δεινόν;

ibid. lib. VIII vv. 367, 369:

Ἐπεὶ δ᾽ ἀναστὰς τὴν πνοὴν πάλιν λάβοι,
„Τίς ὁ πλατὺς ὄνειρος;“ ἐξεκεκράγει,

ibid. lib. IX vv. 231 sqq.:

Κἀπεὶ διατρίψαντες οὐ μικρὸν δρόμον
Ἐπιδράμοιεν τὴν Ἄβυδον Δελφόθεν,
Εἰς Κύπρον ἐξώρμησαν εὐθὺς ὁμμάδην.
Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν νῆσον εἰσβαῖεν μέσην,
Παντὸς παρεισῄεισαν ἀνθρώπου δόμον.

et ibid. v. 239, lib. VIII v. 314;
nec non apud Nicetan, ut Dros. et Char. lib. IX vv. 279 sqq.:

Ἐπεὶ τὸ συμβὰν ἐκμάθοιεν, εὐθέως
Ἐκεῖ δραμοῦσαι, προσπλακεῖσαι τοῖς τέκνοις,
Τοῖς τῆς χαρᾶς ἔλουον αὐτοὺς δακρύοις

et ibid. vv. 169, 271 sq.; frustra tamen quaesivimus in Tzetzae libris.

Huc pertinet etiam futuri optativus pari modo cum coniunctione ἐπεί coniunctus, quales multi reperiuntur in libris Theodori Prodromi; cum autem in Christo patienti haec ratio non sit adhibita, nihil opus est rem porro persequi. At alia sententiarum genera in tragoedia pro-

nuntiata sunt optativo futuri, ubi exspectatur aoristi optativus vel etiam coniunctivus.[1]) Sunt hi versus:

1157 sq.: Ὡς οὐ κάμοιμ' ἄν, εἴθ' ἕως εἴθ' ἑσπέρα,
Ἕως νέκυν θήσοιμι καινῷ μου τάφῳ,

1484: Φθάσοι δὲ καὶ πάγκοινον εἴθε χάρμα μοι.

Hoc optativi genus iam prius exstitit, deprehenditur enim iam apud Gregorium Agrigentinum, qui c. a. 600 floruit, ut exempla afferamus, in Curs. Patr. Gr. tom. XCVIII pag. 794: εἰ μή τις ἄλλος . . . . ἰάσοιτο καὶ . . . ἀνθελκύσῃ; et ibid. pag. 812: καὶ βουλευσάμενος ἕλοιτο τὴν αἵρεσιν καὶ φεύξοιτο; et ibid. pag. 872: καταλήψοιτο καὶ διαγνοίῃ; item in Georgii Pisidae carmine de vanitate vitae vv. 90 sq.:

Τὸ τοῦ βίου θέατρον αἰσχύνης γέμον
Θρήνῳ γελῶντι μὴ σβέσοι τὸ παίγνιον,

aliorumque in libris, in his Ignatii diaconi,[2]) Ioannis Geometrae, ut in Curs. Patr. Gr. tom. CVI pag. 999:

Τὴν ἐντροπὴν λάβοιεν οἱ τολμητίαι,
Λήψοιτο δεινὰ δεινὰ τοὺς εἰργασμένους,
Λήψοιτο[3]) τὸ πρόσωπον αὐτῶν αἰσχύνη,
Πάσης πέσοιεν ἐκ δυναστικῆς βίας,

tum etiam Ioannis Euchaitensis, ut in Curs. Patr. Gr. tom. CXX pag. 1194; 1140 v. 1050; pag. 1142 vv. 1119 sq. Non tanti igitur momenti est, quod Tzetzae quoque et Theodoro Prodromo hac in re cum Christo patienti intercedit similitudo.[4])

Nec plus concluditur eo quod scriptoribus, qui XII. saeculo vixerunt, usitatus erat aoristus ἔφησα. Reperitur enim iam in scriptis Gregorii Agrigentini, et post illum

---

[1]) Prius iam scriptores coeperant optativo pro eiusdem temporis coniunctivo uti, cuius rationis exempla sunt Gregorii Poëm. mor. XXXIII v. 122:

Δέδοικα, Χριστέ, μὴ κἀγὼ τῆς σῆς χερὸς
Χρήζων ἀπέλθοιμ';

et Poëm. mor. XXVIII v. 346; et Poëm. de se ipso XXX v. 3.

[2]) Huius scripta aliqua edidit Matranga in Anecd. Gr. tom. II.

[3]) Hoc recepimus pro λήψοι.

[4]) cf. quod Hercher in Erotic. script. Gr. tom. II pag. IL attulit.

multum eo utebantur scriptores. Plus refert annotare etiam composito *ἀντιφάναι*, quod in Christo patienti occurrit, saepe uti Theodorum et Nicetan. Multum etiam ad rem affert, quod in tragoedia verbi *εἰμί* imperativi legitur forma *ἔσο* in v. 2577:

Λόγοις δ' ἐμοῖς ἄνωθεν εὐμενὴς ἔσο.

Hanc flexionem apud veteres non inveneris nisi ter in Laconicis dictis et semel in Pythagorae dicto, quod profert Ahrens in libro „De Graecae linguae dialectis" II pag. 321. Occurrit autem in recentiorum lingua vulgari, quod docuit Mullachius l. l. cap. XXVI. Non eam repperimus [1]) nisi apud scriptores, qui post X. saeculum fuerunt, velut apud Epiphanium monachum, qui vixit saeculo XI., in Curs. Patr. Gr. tom. CXX pag. 249: *ἔσο κυρία πάντων*, et in auctoris incerti vita sancti Nili iunioris, ibid. pag. 58: *ἔσο τοίνυν γινώσκων* et in Nicetae Eugeniani Dros. et Char. lib. VIII v. 147: *θαρρῶν ἔσο.*

Possunt alia quoque afferri, quibus confirmentur ea, quae contendimus, velut pronomen *αὐτός* et in Christo patienti et in carminibus Tzetzae Prodromique haud raro adhibitum, ubi supervacaneum est, et particulam *δέ* aliasque saepe insertas solum ut versus expleatur. Quid dicamus de formis *συμμολῶμεν* in Theodori Rhod. et Dos. lib. IX v. 226, et eiusdem *προμόλει* (proveni!) in Curs. Patr. Gr. tom. CXXXIII pag. 1204, et *μολήσας* in Tzetzae Antehomericorum [2]) v. 375, et apud Leonem philosophum in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. CVII pag. 1133? Sed eis, quae attulimus, satis confirmatum esse putamus Christum patientem Tzetzae fere et Theodori Prodromi temporibus scriptum esse, quorum aetati ea insulsitas atque ingenii tarditas, quam complures iam in Christo patienti

---

[1]) excepto uno loco *ἔσο ἡτοιμασμένος* in evangelio Nicodemi, 20, 1.

[1]) Antehomerica, Homerica, Posthomerica edidit Immanuel Bekker. — Tzetzae hoc *μολήσας* attulit etiam Stephanus in „Thesauro linguae Graecae" sub voce *μολέω*.

reprehenderunt, magis convenit quam saeculo Basilii et Gregorii Nazianzeni.

Ac si hoc tempore centonem compositum esse statuimus, alia quoque res illustratur, quam protulit Magninius, cum doceret in occidente eum usque ad saeculum XVI. ignotum fuisse neque quidquam habuisse momenti ad agenda mysteria de Christi nativitate, passione, resurrectione. [1])

Quae exposuimus adhuc, ea si probantur, non iam opus est singillatim refutare, quod coniecit Ceillierus, alium Gregorium, qui circa annum 572 episcopus Antiochiae fuit, tragoediae esse auctorem. [2])

IX.

Non Ioannem Tzetzen, sed Theodorum Prodromum huius tragoediae auctorem esse.

Quae supra de tempore, quo haec de Christo patienti tragoedia composita sit, statuimus, his confirmatur sententia Kirchhoffii „saeculo XIII. haud multo antiquiorem" eam esse dicentis. [3]) Duebnerus autem l. l. pag. IV et pag. 78 contendit, Tzetzae haud dubie esse epilogum tragoediae sibique videri illum simpliciter commendare suum in Lycophronem commentarium. [4]) Doeringius vero, quem secutus est Nicolaius, [5]) l. l. pag. 8 Tzetzen tragoediam ipsam scripsisse probare studuit. [6]) Atque qui contulerit epilogi versus 2608 sqq.:

---

[1]) Journal des savants, 1849, pag. 13: „Le *X. π.*, entièrement inconnu en Occident jusqu' au milieu du XVI^e siècle, n' a exercé, je me hâte de le dire, aucune influence sur nos fameux mystères de la Nativité, de la Passion et de la Résurrection." Cf. Elliss. l. l. pag. LIX.

[2]) cf. Elliss. pag. XXVII. Huius Gregorii scripta edita sunt in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. LXXXVIII pag. 1848 sqq.

[3]) in editione Euripidis, Berol. 1855, pag. X.

[4]) cf. etiam Klein l. l. tom. III pag. 625.

[5]) vide supra ann. ad pag. 5.

[6]) Qui Doeringii librum in „Literar. Centralblatt" 1865, pag. 589 recensuit, epilogum tantum Tzetzae tribuit.

Εἰ γοῦν θέλεις σὺ, καὶ Λυκόφρονος τρόπῳ
Γλυκόφρονος νῦν ὡς θέμις ἐγνωσμένου
Λέξω τὰ πολλὰ νητρεκῶς ὧν μ' ἱστορεῖς,

cum Tzetzae scholiorum Lycophronis versibus (pag. 1049 ed. Muelleri):

Βίβλος μὲν τελέθουσα Λυκόφρονος ἀσματοκάμπτου
Ἦν ἀλαὸς προπάροιθεν, ἀδερκέα δέργματ' ἔχουσα·
Νῦν δέ με δορκαλέην Ἑρμείῃ θήκατο τέχνῃ
Τζέτζης Ἰσαάκιος,[1]) *εὔστροφα πείσματα λύσας,*

ab eodem auctore hos atque illos versus scriptos esse suspicari potest. Sed tamen cavendum est, ne praepropere Tzetzae tragoediam attribuamus.

Primum quidem in scriptis eius saepissime occurrit ipsius nomen. Homo enim immodestissimus, qui in Theogoniae vv. 28 sqq. scripsit:

Ὡς οὐδ' ἂν ἦσαν ἑκατὸν Ὅμηροι καὶ Μουσαῖοι,
Ὀρφέες καὶ Ἡσίοδοι, Ἀντίμαχοι καὶ Λῖνοι,
Καὶ πάντες δ' ἄλλοι ποιηταὶ καὶ θεογονογράφοι,
Κρεῖττον ἂν ἔγραψαν ἐμοῦ,

summa ope prospiciebat, ne suum ut doctissimi viri nomen interiret aut unquam ipsius libros legentem falleret. Sic ut exempla afferamus, in scholiis in Hermogenem, in Crameri Anecd. Gr. tom. IV pag. 141 v. 6:

Τζέτζης φησὶν ἐνθάδε,

in eadem pag. v. 27:

Τοῦτο φησὶν δ' ὁ Τζέτζης,

in ead. pag. v. 30:

Τοῦ Τζέτζου δὲ κατάκουε, καὶ οὐ σφαλεῖς εἰς χρόνους,

ibid. pag. 142 v. 13:

Ἐκ τούτου μοι σημείωσαι τοὺς χρόνους Τζέτζης λέγει,

ibid. pag. 146 v. 8:

Ταὐτὸν ὁ Τζέτζης οἴεται καὶ τοῦτο τῷ προτέρῳ;

vide ibid. pag. 50 v. 32; pag. 70 v. 9; pag. 79 v. 13 et in carmine *Περὶ μέτρων* in Crameri Anecd. Gr. tom. III pag. 302 vv. 9 sq.; pag. 306 v. 2; pag. 317 v. 4 et in

---

[1]) De fratris nomine supposito vide Hartii l. l. pag. 24 sqq.

carmine *Περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* ibid. pag. 341 v. 27; pag. 342 v. 3; pag. 347 v. 28 e. m. a. Quid? si idem ille gloriosus Ioannes Tzetzes tragoediae auctor esset, nonne inexauditum videretur, eum neque prologo tanti operis neque uni e duobus epilogis, ubi facile potuit, suum nomen inseruisse et satis habuisse laudare poëtam, cuius ipse carmen commentatus esset? Quid porro eo quod Lycophronis liber laudatur, putare cogimur a commentatore suo eum laudari neque ab alio quoque scriptore id temporis, cum Lycophron legi solebat, praedicari potuisse?

Sed aliis quoque causis, quominus isti sententiae calculum adiciamus, prohibemur. Tzetzes enim ut grammaticus omnem operam contulit ad commentandos veteres scriptores, neque ullum in eius scriptis reperitur, quod ad doctrinam Christianam aut litteras sacras spectet, quam ob rem non ita veri simile est eum huius Christianae tragoediae esse auctorem, cuius materia non solum e quattuor evangeliis, sed etiam ex apocryphis libris petita est. Magis ea redolet hominem, qui ecclesiae sanctae operam suam dedicarit et multum in sacra scriptura versatus fuerit, ita tamen, ut idem veterum auctorum gentilium non rudis esset. Hoc de quo magis praedicari potest quam de Theodoro Prodromo, qui grammaticus fuit et aetate progressus propter victus penuriam in monasterium se recepit et multa ibi de scripturis et doctrinis sacris composuit?[1]) Diligenter is, quod e multis eius libris perspicitur, veteres auctores legit nec nullos eorum imitatus est, velut Homericam Batrachomyomachiam carmine, quod inscribitur Catomyomachia, Luciani Vitarum auctionem; quod vero maximum est, nonnunquam veterum versus suis libris intexuit nec monuit eos aliunde de-

---

[1]) Edita sunt in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. CXXXIII; nonnulla etiam vulgavit La Porte du Theil in operis „Notices et extraits des manuscrits“ tomis VI, VII, VIII et Boissonade ibid. tom. XI; carmen astronomicum edidit E. Miller ibid. tom. XXIII p. II, pag. 8 sqq.

sumptos esse, in his Euripideos quoque versus. Exempla afferimus haec:

Hecubae v. 689: *Ἄπιστ' ἄπιστα, καινὰ καινὰ δέρκομαι*
Theod. Catomyom. v. 196:
Ἄπιστ' ἄπιστα, καινὰ καινά μοι λέγεις
v. 258: *Ἄπιστ' ἄπιστα, δεινὰ δεινά μοι λέγεις.*

Eur. Hec. v. 1035: *Πᾷ βῶ;*
Theod. Catom. v. 252: *Πᾷ βῶ;*

Eurip. Cyclop. vv. 266 sq.: *Κακῶς οὗτοι κακοὶ*
Οἱ παῖδες ἀπόλοινθ' . . .
Catom. v. 316: *Κακὸς κακῶς ὄλοιτο.*

Eur. Herculis furent. v. 522:
Ὦ χαῖρε, μέλαθρον πρόπυλά θ' ἑστίας ἐμῆς
Theod. epistola in Not. et Extr. tom. VI pag. 561:
Ὦ χαῖρε μέλαθρα πρόπυλά θ' ἑστίας.

Danaes fragm. v. 24: *Εἰς ἀνδρὸς ὄψιν εὐλαβουμένη μολεῖν*
Theod. in Rhod. et Dos. lib. II v. 70:
Καὶ παντὸς ἀνδρὸς ὄψιν εὐλαβουμένη;
fortasse etiam Helenae v. 1419:
Ὄναιο κἀγὼ τῶν ἐμῶν βουλευμάτων
Theod. Rhod. et Dos. lib. II v. 476:
Καὶ συντελεσταὶ τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

In Tzetzae libris ubi leguntur veterum versus, semper annotatum est, unde sint petiti, prolatique sunt aut ut ipsius sententia veterum testimoniis confirmetur aut ut horum opinio refellatur.

Magni etiam momenti est, quod eidem versus Euripidei et in hac tragoedia et in Theodori carminibus imitatorem experti sunt. Tales iam versus componemus.

Eurip. Helenae v. 637:
Ὦ φιλτάτη πρόσοψις, οὐκ ἐμέμφθην
Chr. p. v. 921: *Ὦ φιλτάτη πρόσοψις, ὦ ποθουμένη.*
Theod. Catom. v. 260: *Ὦ φιλτάτη πρόσοψις, ὦ παῖ μοι φίλε.*

Eur. Medeae v. 1266: *Ναὶ πρὸς θεῶν ἀρήξατ' . .*
Chr. p. v. 1474: *Ναὶ πρὸς Θεοῦ, συνέρξατ' . .*

Chr. p. v. 1794: *Ναὶ καὶ σὺ συνάρηγε.*
Theod. Rhod. et Dos. lib. II v. 415: *Ναὶ*[1] *ναὶ συναρήξατε.*
Eur. Med. v. 146: *Τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος . .*
Chr. p. v. 504: *Τί μοι δ' ἔτι ζῆν κέρδος . .*
v. 693: *Τί γὰρ ἔτι ζῆν κέρδος . .*
Theod. Rhod. et Dos. lib. I v. 191: *Τί γάρ μοι ζῆν ἔτι . . .*
Eur. Med. v. 881:
Ὦ τέκνα, τέκνα, δεῦτε, λείπετε στέγας
v. 1389: *Παίδων ὁ τάλας προσπτύξασθαι*
Chr. p. v. 688: *Ὦ δεῦτε, φίλαι, δεῦτε, λίπωμεν δέος.*
vv. 465, 467:
Ψαῦσαι ποδῶν τε καὶ περιπτύξασθαί σε.
Ὦ δεῦτε, φίλαι, δεῦτε, λίπωμεν φόβον
Theod. Rhod. lib. IX vv. 304 sq.:
Καὶ τὴν Ῥοδάνθην τοῖν ποδοῖν ἀνασπάσας.
Ὦ δεῦτε, φησὶ, τέκνα, προσπτύξασθέ με.
Eur. Orestis v. 136: *ἡσύχῳ ποδί*
Chr. p. v. 2488: *ἡσύχῳ ποδὸς βάσει*
Theod. Rhod. lib. I v. 176:
Προβὰς δὲ πρὸς τοὔμπροσθεν ἡσύχῳ ποδί.

Hoc loco Theodorum, qui tanta diligentia studebat, ut paenultima syllaba accentu insignita esset, voce *ποδί* in fine versus usurum fuisse negamus, nisi eam ut aliunde desumptam mutare dubitasset.

Asserimus his voces *δεσμοῖς ἀλύτοις* in Aeschyli Prom. v. 154, Chr. pat. v. 2531, Theod. Rhod. lib. IX v. 108.

Accedit, quod in Christo patienti alia quoque leguntur similia sententiis, quae in Theodori libris prolatae sunt, vel eadem hic atque illic verba coniuncta sunt, ut
Chr. p. v. 1420:
Στρέφω γὰρ εἰς σὲ τὸ πρόσωπον τοῦ λόγου
Rhod. lib. III v. 511:
Ἰδοὺ γὰρ εἰς σὲ τὸν λόγον μετατρέπω.[2]

---

[1]) vide infra pag. 69.

[2]) Imitatus esse videtur hoc dictum Manuel Philes in carm. IV de plantis v. 189:
Ὁ γὰρ λόγος τὴν ὄψιν εἰς σὲ νῦν στρέφει.

Chr. p. v. 1862: *Δοκεῖ δὲ καινῶν ἄγγελος μηνυμάτων*
Rhod. lib. II v. 388:

Πικρῶν μετῆλθεν ἄγγελος μηνυμάτων.

Chr. p. v. 2485:

Πῶς δ' εἰσίωμεν, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων; [1])

vv. 2500 sqq.:

Πῶς, πῶς πάρεστι τῶν θυρῶν κεκλεισμένων;
Τάχ' ὡς ἀνέστη καὶ τάφου κεκλεισμένου,
Καὶ πρὶν προῆλθεν ἐκ πυλῶν τῆς παρθένου,
Ἄλυτα τηρῶν κλεῖθρα μητρὸς πανάγνου

vv. 2399 sq.: *Ὃς κλεῖθρα παρθένια μηδαμῶς λύσας*
Ἐξῆλθεν.

Theod. in Curs. Patr. Gr. tom. CXXXIII pag. 1208:

Πῶς ἦλθες ἐντὸς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων;
Καθὼς ἀπῆλθον τοῦ τάφου φρουρουμένου.
Καὶ πῶς ἐκεῖθεν ἐξελήλυθας, Λόγε;
Ὡς πρὶν προῆλθον ἐκ πύλης κεκλεισμένης, [2])

ibid. pag. 1204: *Ἐκ παρθένου προῆλθες.*

Chr. p. vv. 2603 sq.:

Δός μοι, κυρία, τὴν λύσιν τῶν πταισμάτων
Καί μοι παράσχε ψυχικὴν σωτηρίαν [3])

Theod. Supplicatio ad Christum v. 8 in Not. et Extr. des manuscr. tom. VIII part. II pag. 164:

Δὸς καὶ θανόντι ψυχικὴν σωτηρίαν.

Haec quidem plus nobis valent quam quod illi tragoediae epilogi et Tzetzae versus supra allati inter se similes sunt.

Deinde quod Doeringius, ut sententiam suam confirmaret, Tzetzen in commentario ad Cassandram I pag. 271 (ed. Muellerianae) hoc modo in Lycophronis nomine

---

[1]) cf. evang. Joannis 20,19: *Καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον.*

[2]) Cf. Leonem philosophum in Mignei Curs. Patr. Gr. tom. CVII pag. 5: *Προέρχεται πυλῶν κεκλεισμένων ἀτεκνίᾳ.*

[3]) Hi duo versus desunt in codicibus C M Matritensi; Duebnerus eos spurios esse censuit uncisque inclusit.

ludere monet: *Διὰ τί λέγεται Λυκόφρων; διὰ τὸ αἰνιγματωδῶς καὶ πανούργως λέγειν· καὶ γὰρ οἱ λύκοι πανοῦργοι,* hisque verbis componit versus 2608 sq. in Christi pat. epilogo:

Εἰ γοῦν θέλεις σὺ, καὶ Λυκόφρονος τρόπῳ
Γλυκόφρονος νῦν ὡς θέμις ἐγνωσμένον,

contra moneri potest, tales si non in Lycophronis, at in aliis nominibus lusiones Theodorum quoque amasse, id quod perspiciet, qui legerit hos eius versus:

Ἀρχὸς Ἀλεξιάδης, ἀλέξιον ἄλκαρ ὀπάσσας.

(Curs. Patr. Gr. l. l. pag. 1278),

Σκύμνε γενναίου Λέοντος, λέον τεττάρων σκύμνων

(ibid. pag. 1362).

Tum Doeringio in altera re adversamur. Quod enim Tzetzen tragoediam totam vel epilogum certe scripsisse dicit, id firmare conatur Chr. pat. versu 2605 sq.:

Ἔχεις ἀληθὲς δρᾶμα κοὐ πεπλασμένον
Πεφυρμένον τε μυθικῶν λήρων κόπρῳ,

cum moneat Tzetzen ea, quae veteres de deis et heroibus suis tradiderunt, simili modo *λήρους* appellare. Atqui quid horum versuum similius est, quam Theodori poëmatis astronomici vv. 463 sqq.:

Λῆρος μὲν οὖν Χαλδαϊκὸς καὶ μῦθος Αἰγυπτίων
Πειρώμενος διασαφεῖν καὶ λέγειν περὶ τούτων
Ἐρεσχελεῖ καὶ φθέγγεται μωρὰ καὶ πεπλασμένα?

Deinde e Theodori libris plures loci congeri possunt, ubi ille etiam vehementius in gentilium libros invehitur, velut in carmine de Platone et Aristotele in Curs. Patr. Gr. tom. CXXXIII pag. 1412:

Ὦ βορβορώδης καὶ δυσοσμίας λόγος,
Ὁποῖος ἐκπέφευγε τῶν σῶν χειλέων·
Ὢ κόπρος, οἷα τῶν ὀδόντων ἐξέβη·
Ὢ κάπνος . . .

et in pag. 1419.

Praeterea Theodorus saepius quam Tzetzes iambico trimetro usus est accuratiusque eas leges observavit, quae servatae sunt in Christo patienti, nec nulla in dramatis

vel dialogi formam, quam hic aspernabatur, redegit, ut Catomyomachiam, Amicitiam exulantem, Amarantum sive senis amores, Vitarum poëticarum et politicarum auctionem, Dialogum tumuli et peregrini, qui inscribitur *Νουθετικοί*. [1])

Neque his modo in rebus, sed in multis aliis tragoediae cum Tzetzae scriptis dissimilitudo, cum Theodoro similitudo intercedit. Sic particula *ναί*, quam in Christo patienti saepe adhibitam et frequenter geminatam esse docuimus, rara est in Tzetzae libris, qui *ναὶ μὴν καί* coniungere solebat, ut in Crameri Anecd. Gr. tom. III pag. 320 v. 9 et v. 31, Theogon. vv. 187, 338, Chiliad. lib. I v. 161, duplicavit autem, quod sciamus, nunquam. Multo saepius ea usus Theodorus anteposuit variis vocabulis, quod illustratur ex Rhod. et Dos. lib. IX v. 49: *Ναὶ γὰρ καλή*, ibid. v. 268: *Ναὶ γὰρ τετυράννηκα*, v. 269: *Ναὶ τὴν Ῥοδάνθην*; inprimis si eadem vox vel eiusdem notionis verbum cum emphasi iteratur, [2]) velut Rhod. VII, 123: *Ζηλοῦτε, ναὶ ζηλοῦτέ με*; IX, 286: *Δριμεῖα ναὶ δριμεῖα*; VIII, 347, V, 370, II, 408, ut in Chr. pat. vv. 509 sq.:

Ὃν συγγενεῖς κτείνουσιν Ἑβραῖοι φθόνῳ,
Ναὶ συγγενεῖς,

et ibid. v. 1262. Atque etiam geminata saepe est in libris eius, velut in his continuis versibus Curs. Patr. Gr. tom. CXXXIII pag. 1378:

Ναὶ ναὶ τοὺς Πέρσας, βασιλεῦ, ναὶ τοὺς ὑπερηφάνους,
Ναὶ ναὶ τοὺς ἀθεσμήσαντας, ναὶ ναὶ τοὺς ἀχαρίστους,
Ναὶ ναὶ τοὺς παρασπονδητάς, ναὶ ναὶ τοὺς παρανόμους,
Ναὶ τοὺς δραπέτας κόλαζε.

et ibid. pag. 1367:

Ναὶ ναὶ καὶ τὸ βραχύτατον τῆς σῆς ἐπιδημίας

et in Rhod. et Dos. lib. II v. 415, quare Le Bas etiam in libro VIII, v. 321 *ναὶ ναὶ* pro *καὶ ναὶ* restituit.

Geminatae autem huic particulae eo plus tribuendum esse censemus, quod solius fere Theodori Prodromi ea

---

[1]) Curs. Patr. Gr. tom. CXXXIII pag. 1422 sqq.

[2]) Cf. Hercher Erotic. script. Graeci tom. II pag. XLIV.

propria est. Quam rara sit in veterum libris, colligas e Stephani „Thesauro linguae Graecae“ sub voce *ναί*. E recentioribus unum hic attulit Suidae locum *Ναὶ ναὶ μὰ μήκωνος*,[1]) cui nos addimus Nicetae Eugeniani Dros. et Char. lib. II v. 224: *Ναὶ ναὶ, φίλε Κλέανδρε* et *Ναὶ ναὶ στήθεϊ μᾶλλον* in v. 5 carminis Agathiae scholastici, quod exstat in Antholog. Palat. cap. V, 276; aliud exemplum non repperimus.[2])

Neque haec tantum particula, sed aliae quoque voces in Prodromi libris, inprimis in theologicis, haud secus atque in Christo patienti saepe geminatae vel iteratae deprehenduntur. E permagno numero, qui in tragoedia occurrit, pauca haec exempla attulisse satis esse putamus:

vv. 359 et 2054: *Σίγα, σίγα.*

vv. 1785 sq.: *Ἴδοιμ' ἴδοιμι γλυκερόν τ' ἦμαρ τόδε.*
Εἴθ' εἴθε, φίλος, θαῦμα τοῦτ' ἴδοιμ' ἐγώ.

vv. 1899 sq.: *Ἄπιθ' ἄπιθι καὶ φύλασσε τὸν τάφον,*
Ναὶ ναὶ, φάλαγξ, ἄπιθι.

v. 1612: *Εἴχωμεν οὖν, εἴχωμεν.*

v. 2207: *Εἴρηκεν οὖν, εἴρηκεν.*

cf. vv. 431, 691, 703, 834, 1059, 1254, 1613, 1950 e. m. a. His conferenda cum alia tum haec Theodori: Curs. Patr. Gr. tom. c. pag. 1374:

Ὦ πόλις, πόλις, Ῥωμαϊκὴ πόλις, Αὐσόνων πόλι,
Εὗρες βραδέως, εὕρηκας, εὗρες ὀψὲ καὶ μόλις;

in eadem pag.: *Ἀνέτειλας, ἀνέτειλας* et pag. 1380:

Μὴ μένητε, μὴ μένητε, φεύγετε τάχος τάχος.

Catom. v. 240: *Σίγα, σίγα;* cf. ibid. vv. 254, 324, 326; Rhod. et Dos. lib. VIII v. 391: *Σκιρτῶμεν οὖν, σκιρτῶμεν*, lib. VII, v. 520: *Εἰς οἷον, οἷον ἐξεχυλίσθη θράσος;* cf. ibid. lib. III v. 303, lib. IV v. 244, lib. IX v. 359; carminis quod *Κατὰ ἡγουμένων* inscribitur,[3]) lib. II v. 362: *κακὸν*

---

[1]) Bergk „Poët. lyr. Gr.“ vol. II, 416 (ed. IV) ex Archilocho haec verba petita esse censet.

[2]) Alius generis est evangel. Matth. 5, 37: *Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν· Ναὶ ναὶ, Οὒ οὔ.*

[3]) ed. Korais in I. tomo *Ἀτάκτων.*

κακὸν et vv. 110, 276, 497. At Tzetzes omnino non huius figurae splendorem affectavit. Non meminimus quidem exemplum eius nos legere nisi hoc unum: *Λῆγε οὖν, λῆγε*, quod est in epist. LXXXII pag. 65 ed. Pressel, cum quo contuleris iterationem vocis *ψυχή* in Theogoniae vv. 1 sq.

Ut hoc poëtico lumine orationis carent scripta Tzetzae, ita universa dictio eius per humum serpit et plus insulsitatis habet quam dictio Theodori, quod iam perspicias, si perpendas immodicum usum articuli et particularum expletivarum. Quod autem in Christo patienti est dicendi genus, quamvis sit vituperatum a multis, altius certe et sublimius est quam Tzetzae sermo et multo similius Theodori.

Atque vero in linguae conformatione universa, in flexione et nominum et verborum intercedit Tzetzae libris cum Theodoro tragoediaque discrepantia, quam reputantes non possumus tragoediam Tzetzae tribuere. Theodorus enim multa adhibuit, quae sunt propria recentioris vel vulgaris linguae, inprimis in carminibus, quae edidit Korais in „Atactorum“ vol. I., eademque occurrunt in Christo patienti; at Tzetzes in tanta illa linguae barbarie tamen diligentius veterum leges dicendi tenuit illasque novas normas aspernatus est. Id illustretur paucis exemplis.

Primum quidem vocem *κάρα* instar nominum primae declinationis flexam ne semel quidem repperimus in scriptis Tzetzae, qui voce *κεφαλή* uti solet, at apud Theodorum aliquoties deprehendas flexionem in Christo patienti usitatam, accusativum *κάραν* in Rhod. et Dos. lib. III v. 114, lib. IV vv. 23, 129, 396, lib. VI v. 449, lib. VIII v. 363, lib. IX v. 328, in epistola, quae inest in „Not. et Extr. des manuscr.“ tom. VI pag. 542, in Curs. Patr. Gr. tom. c. pag. 1181, 1251.[1])

Deinde comparativi gradus in vicem superlativi relativi succedentis haud pauca exempla e Theodori libris

---

[1]) cf. etiam Stephani Thes. linguae Graecae sub voce *κάρα*. Declinarunt eodem modo cum alii tum Ioannes Damascenus (Can. I

afferri possunt, apud Tzetzen nisi quod supra attulimus, nullum a nobis est repertum.

Tum particula ἐπεί cum optativo pro indicadivo coniuncta, qua de ratione supra disseruimus, saepe legitur in libris Theodori, exemplisque, quae (pag. 59) protulimus, permagnus numerus addi potest. At a Tzetza prorsus aliena est haec ratio, adeo ut nusquam eam adhibitam deprehendamus. Futuri quoque optativo, ubi aoristi optativus vel coniunctivus exspectatur, multum ille, perraro hic usus est.

Has igitur res si perpendimus, non Tzetzae tragoediam tribuere possumus, sed in eam sententiam adducimur, ut Theodorum Prodromum eam scripsisse censeamus.

---

v. 38: τῆς κάρας, Can. II v. 25: τὴν κάραν; v. 81: τὰς κα̌ρας), Psellus, Basilius megalomyta, Aulicalamus, quorum aenigmata edita sunt in Boissonadii Anecd. Gr. tom. III, Theodosius diaconus, velut in Carminis de Cretae expugnatione acroaseos II v. 61 et v. 66: τὰς κάρας, v. 222: τῆς κάρας; etiam in carmine ad imperatorem Nicephorum Ioanni Geometrae attributo, quod invenias in Cram. Anecd. Gr. tom. IV pag. 265 sqq. et in Curs. Patr. Gr. tom. CVI pag. 901 sqq., bis legitur κάραν. — Ioannis Malalae histor. pag. 35, 22 (ed. Niebuhr) etiam Mullachius l. l. pag. 54 attulit.

Index capitulorum.